



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Sanctorum Joachim Et Annæ Geneseos, Vitæ, Transitus Et Connexorum

Polius, Jacobus


Herbipoli, 1652

urn:nbn:de:hbz:466:1-43946

111
archisynago :
ns quia lab
t ihūs : dice
sex dies sūt :
portet opa
rgo venice t
et non in die
spōdēs autē
minus dixit .
nusquisq; ve
ato non sol
suum aut af
sepio . 7 dicit
hanc autem
ibe quam all
hanas ecce de
cto annis : non

Th. 2468.

K
11
43



HISTORIA
SANCTORUM
JOACHIM
ET
ANNÆ
GENESEOS, VI-
TÆ, TRANSITUS ET
CONNEXORVM.

Nec non

QVÆSTIONES PRO
TUENDA VERITATE
ASCETICÆ.

PARTES DUE:

Auctore R.P.F. JACOBO POLIO
Ordinis Minorum Recollectorum Pro-
vinciæ Coloniæ Chronologo.

HERBIPOLI,
Typis ELIÆ MICHAELIS ZINCK.
Annæ M. DC LII.

Sottus Irm Paderb. 1657.



*Reverendissimo ac Illustrissi-
mo Domino, Dn.*

JOACHIMO

Ecclesiæ Fuldenfis Abbati, Sa-
cri Romani Imperii Principi, D. Au-
gustæ Archicancellario, per Germani-
am & Galliam Primate.

RAcificus est ingressus me-
us, *Reverendissime ac Illustrissi-
me Princeps*, Quid rei sit denu-
dabo. Iacob (factus Israel) di-
ligebat Ioseph, eò quod in senectute ge-
nuerat eum, Historiam præsentem S S.
IOACHIM. & ANNÆ, in palæstrâ hujus
militiæ super terram luctator, (ætate in-
gravescente) laboribus exhaustus, & ad-
versâ valetudine fractus, in usuram hujus
lucis produxi, atq; ne foetus, DEO secun-
dante, effusus pessundaretur, velut ab-
ortivus supra terram dum adhuc tener
esset, anxie circumspexit, cujus se tutius
crederet umbraculo, & mox sanum inci-
dit consilium, ut in Dei nomine confi-

A 2

den-

Epistola Dedicatoria.

denter ad Celsitudinis Tuæ portas devolueretur, bono angelo duce, me comite, gerulo ac negotii gestore. Id ut facerem, duo facile persuaserunt: alterum sanè quod S. IOACHIMUS Patriarcha, Principi cognomini, præpotens vitæ, meritorū ac salutis æternæ procurandæ interuentor evaserit, omine prorsus fortunatissimo. Siquidem S. Hieronymo docente, Ioachim in Hebraismo idem est, quod *preparatus à Domino*. Gratia Dei operatur omnia in omnibus, quã lubet circa Principem cognominem, quomodo in eo vacua haud fuerit æquã lance non nihil expendere. Intra Archiducatum Austriæ & regiones conterminas, illustris prosapia liberorum Baronum de Gravenegg satis decantata corruscat, cuius generosa propago, Orthodoxæ semper religioni, & Imperatori Regni Romano-Germanici, fidelissimè constans permansit, & statibus religiosis, doctisque viris extitit adiectissima; unde post alios clarissimos, quos habuit heroes, felicissimè procrevit furculus nobis propositus, qui tantâ præluxit integritate, ut bonorum spem conceptam longo intervallo superarit, quin-

imè

Epistola Dedicatoria.

imò prudentiâ, pietate, doctrina, omnibus deniq; egregiis dotibus, talem se præbuerit, quod si majorum virtutes, Nobilitatis antiquitatem, honorum amplitudinem, ac merita spectare velimus, ista non æquet solum, verùm permagnâ quoque adjectione in majus provehat, adeo ut familiæ plus decoris adferat, quam ab illa acceperit, atq; prisca comprobet diverbia: *non à loco virum sed locum à viro condecorari, & rursus: perit omnis in illo gentis honos, cujus laus est in origine solâ.* Cum itaque rem teneat, junctâ virtute certâ, spectatâ, lateq; celebratâ atque exinde præfulgeat cumularus honore, nil mirum: Si quidem *Ioachimus preparatus à Domino.* Consequenter dum religiosissima Magni Patriarchæ S. Benedicti agmina collætantur super adeò celebri Archimandrita: Dum exultant subditi super principe pacis: dum advenæ & convenæ sibi pollicentur patrem patriæ, fatagentem ut post spinas & tribulos diu, multumq; toleratos, in ipsis liliorum convallibus accumbant, nil mirum: *Ioachimus à Domino preparatus.* Considerabam quoque quomodo S. Ioachim incarnationis filij Dei

Epistola Dedicatoria.

cooperatricē & Sociam habuerit S. Annam, cujus titulo cum intra Basilicam Fuldensem (quæ illustri Collegio Ordinis S. Benedicti propria semper mansit) ante octo secula in honorem Christi SALVATORIS Virginisq; matris dedicatam, Fraternitas postea specialis, fervido majorum zelo accreverit, hodieq; floreat, atque Principem nobilissimum agnoscat membrum, hinc iterum non incongruè præsens SS. IOACHIM & ANNÆ historia, Fuldense præsidium affectabat, præcurrentibus maximè hujusmodi favoribus ex parte Patroni electi. Alterum verò memet impellens, ut hæc æra minuta offeram, ex nostræ debito familiæ resultat, quod Celsitudo Tua non tam Minores Observantes sacri Mariani montis Inquilinos, quam universam istam S. Elisabethæ Vngaræ Provinciam, in veteris Herminia plantatam deserto, affectu humanitatis semper pristino complectens, atq; animo magno ac volenti (antecessorum Principum calcando vestigia) non tam favoribus solitis affecerit, quam cumulârit novis, dum auspicijs fortunatissimis ipsis S. Annæ ferijs præterlapsi 1649. anni,

002

in

Epistola Dedicatoria.

in radice montis Saleck intra Hamelburgi oppidi pomœrium, ad Sanctorum Auxiliatorum Sacram ædem, pro claustrali domo excitandâ mansionem assignavit, atque ære proprio advexit latifundium. Sed scribendo Panegyrico hic non est locus opportunus, quem aliis perlibenter concedo, ingenij dexteritate & hujus explendi arte instructioribus. Itaque, Reverendissime Princeps, committere nolui, quin omnium nomine, quoquo possem modo, quam plurimis testatam facerem grati animi significationem, cujus Symbolum repono præsens, summâ animi demissione sperans, id ipsum intra penetralia eâ mente quâ offertur gratiosè admittendum, confovendumque, mole quidem exiguum, sed hypothese maximum, & à votis animi maximè dissonum. Cæterum cœli terræque Regem CHRISTUM IESUM interpello jugiter, ut Illustrissimam Celsitudinem Tuam, Fuldensi in Buchoniâ Principatui, ac Ordinibus Sanctissimi Benedicti atque Francisci, divutissimè præstet in eolumem atq; valentem, ac demum in æternitate coronet. Coloniz Agrippinæ ex conventu Oliva-

Epistola Dedicatoria.

rum ferijs anni 1650. Salutiferis, quibus celebrabatur Sancta ANNA, quod fœlix mater effecta, gaudiũ attulisset universo mundo, cujus fructibus ut omnes communicemus, CHRISTUM SALVATOREM veneror, Matrem benedictam & Aviam gratiæ in ventricibus constanter postulo.

*Reverendissima ac Illustrissima
Celsit. Tue*

Humillimus cliens

F. JACOBUS POLIUS.

APe

APPROBATIO CENSURIS

Ordinarij.

Nos Ioannes Melchior Episcopus Domitio-
politanus Eminentissimi & Reverendis-
simi Domini, D. Ioannis Philippi Sacrae Sedis
Moguntinae Archiepiscopi, Sacri Rom. Imperij
per Germaniam Archi-Cancellarij, Principis
Electoris, Episcopi Herbipolensis & Franciae
Orientalis Ducis, per Diocesim Herbipol. In
Pontificalibus & Spiritualibus Vicarius Gene-
ralis, hisce potestatem facimus, ut Historia SS.
Ioachim & Anna à R. P. F. Iacobo Polio Ordini-
nis Minorum Recollectorum Provinciae Coloniae
Chronologo conscripta, & à Theologis dicti S.
Ordinis relecta, & absq; offendiculo contra fi-
dem Catholicam bonosq; mores inventa, in lu-
cem prodeat. In cuius fidem hasce manu nostra
subscripsimus Herbipoli 17. Maij. Anno 1651.

Ioannes Melchior Episc.

FACULTAS

Reverendissimi Patris Commissarij Genera-
lis super Provincias Germanicas, Bel-
gicas & annexas.

HArum virtute facultatem facimus
R. P. F. Iacobo Polio, nostrae Pro-
vinciae Coloniae saepius definitori, ac Pro-
vin-

vinciarum nostrarum Germanico-Belgi-
carum Chronologo, prælo in commu-
nem utilitatem committendi librum, cui
titulus: HISTORIA SS. IOACHIM &
ANNÆ *geneseos, vite, transitus, & connexo-
rum, nec non Quæstiones pro veritate tuendâ
ascetica, à se compositum, & per Theolo-
gos Ordinis ac Censorem Ordinarium
approbatum, eiq; ad hoc meritum obe-
dientiæ, & nostram benedictionem im-
partimur. Datum Gandavi sub nostrâ
signaturâ & officii Sigillo minori i. Se-
ptembris Anni 1650.*

*F. etrus Marchant Commissarius
Generalis.*

CENSURAPPLECTORVM
Ordinis.

Historia SS. IOACHIM & ANNÆ, nec
non Quæstiones pro tuenda veritate asce-
tica, à R. P. F. Iacobo Polionationis Germani-
cæ FF. Min. Strict. observantiæ Chronographo
& Provinciæ Colon. Ex definitore magnâ in-
dustriâ, bonâq; methodo compositæ, nec non S.
Scripturæ, SS. Patrum aliorumq; Ecclesiæ Ca-
tholicæ Doctorum testimoniis ornata, nihil à
fide orthodoxâ & bonis moribus dissentaneum
complectuntur, quæ proinde ad magnæ Dei
geni-

genitricis, matris Anna, ejusq; sanctissimi
conjugis Ioachim honorem, prævio superio-
rum consensu, typis divulgari poterunt. Ita
testamur Colonia in Conventu F. Min. Re-
collektorum vulgò ad Olivas nuncupato die 26.
Novemb. Anni 1650.

F. Thomas Martini SS. Theol.
Lector Ordinarius.

F. Petrus Kleinermann SS.
Theol. Lector Ordinarius.

L I C E N T I A

Reverendi adm. P. Ministri.

UT Tractatus Historiam SS. IOACHIM
& ANNÆ, nec non Quaestiones pro tu-
endâ veritate Asceticas continens, à R. P. F.
Iacobo Polio, Ordinis Chronista, ac Provincia
nostræ Exdefinitore, conscriptus, atq; à PP. Le-
ctoribus revisus, & pralo dignus iudicatus, in
lucem edi possit, licentiam concedo, dummodò
ab Ordinario approbatus fuerit. Datum in con-
ventu nostro FF. Minor. Recollektorum ad oli-
vas dicto. Colonia 9. Novembris 1650.

F. Bernardinus Vetweis Mi-
nister Provincialis.

Exhor-

*Exhortatio ad lectionem libri cum appro-
batione ejusdem.*

A Deste Annæi Sodales, adeste Ani-
mæ Philothææ, quas jam olim in hac
Civitate Fuldensi, singularis in S. An-
nam devotio, Sapienti consilio, veteri in-
stituto, in unum corpus & Fraternitatem
coëgit, adeste & præsentem librum de
SS. IOACHIM & ANNÆ elogijs, diligen-
ter evoluite. Hinc scilicet luculenter pa-
tebit, quam providè Eam in vestram Pa-
tronam & Specialem Advocatam eleger-
itis: quæ Christi Servatoris nostri, Avia,
Dei Genitricis MARIÆ, Mater est; Quid
à tali Patronâ sperare non liceat? quæ uno
finu, Mundi Salvatorem & ejus Matrem,
suavigestat pondere? Hæc scilicet melius,
quam quod olim Romæ de suo Filio Pa-
pyrius, non Urbis, sed Orbis, per Filiam
& Nepotem imperium obtinebit. Eia-
igitur huic libro os apponite, inde quan-
tum lubebit sugite, majoremq; succum in
Advocatam trahite, quia in eo nihil con-
tinetur, quod fidei Catholicæ, S. Apo-
stol. & Rom. Ecclesiæ, ac Patrib. antiquis,
sit dissonum. Datum Fuldæ 19. Febr. 1651.

*Andreas Coccius SS. Theologia Licent.
in Rasdorff, Prepos. & Dec. Amœb.*

PAR-

PARTIS PRIMÆ

Paragrophorum Syllabus.

1. §. Introductio tractatus.
2. Invocatio supremi numinis.
3. Ob quas personas hac genesis adornata sit?
4. Electio SS. Joachim & Anna.
5. Praefiguratio SS. Joachim & Anna.
6. Mystera nominum SS. Joachim & Anna.
7. Prosapia SS. Joachim & Anna, Natalisq; sedes.
8. Christus quomodo Rex & Sacerdos?
9. Cause alti silentij de Joachim & Annâ in sacrâ Evangelij Historia.
10. Conjugium SS. Joachim & Anna sanctum, virtutibus fragrantissimum.
11. Sterilitatis depellende assumpta media, & rejectio S. Joachim in templo.
12. Quanto tempore S. Joachim à conjugē suâ abfuerit? (facta.)
13. Angeli apparitio & promissio SS. conjugibus
14. Occursus conjugum ad portam auream.
15. Conceptus filia SS. Joachim & Anna.
16. Nativitas filia SS. Joachim & Anna.
17. Educatio & ablactatio SS. Joachim & Anna.
18. Presentatio Filie in templo.
19. An Lex de nubendo intra tribum fueris in viridi observantia?
20. An v. Maria fuerit filia hereditans?
21. Modus desponsationis SS. Joseph & Maria.
22. Statura, dispositio & decor filia SS. Joachime &
23. S. Joseph Sponsi encomia. (Anna.)
24. Orti Nepotis SS. Joachim & Anna.

25. De

25. De Transitu & depositione SS. Ioachim & Anna.
26. De solennitate anniversariâ SS. Ioach. & Anna.
27. Quod S. Anna in cœlis eminenter elevata auxiliatrix sit potentissima.
28. De Confratribus SS. Ioachim & Anna.
29. De locis venerabilibus SS. Ioachim & Anna dicaris.
30. De Sacris reliquiis eorundem.
31. De miraculorum fide & præstantiâ.

PARTIS SECUNDÆ Quæstionum Syllabus.

- Quæstio 1. De Virg. Deipara stirpe paternâ.*
2. De Virginis ortu materno.
 3. An Mathan Evangelicus idem sit cum Mathan Hippolyti?
 4. An Iacob pater Ioseph fuerit frater S. Anna.
 5. De Mariâ sorore S. Anna & Cleophâ conjugibus.
 6. De Ioseph & Cleopha fratrum connubijs.
 7. De sede natali, tribuque SS. Ioachim & Anna.
 8. De educatione & monogamia S. Anna.
 9. An Traditio de parentelâ Mariæ antiquitus obscura fuerit vel apocrypha reputata?
 10. Qua sit legalitas seu fides Historiæ SS. Ioachim & Anna?
 11. Quibus testibus fulciatur historia SS. Ioachim & Anna?
 12. De Sacerdote qui S. Ioachim ab altari repulit.
 13. De tempore Ioachim in templo reiecti.
 14. De ratione intrinsecâ tentationis S. Ioachim.
 15. An

15. *An credi possit S. Ioachim à Deo derelictum
fuisse.*

16. *An reatus seu culpa possit factò S. Ioachim im-
putari?*

17. *An conveniens fuerit S. Ioachim talia
pati?*

18. *De loco precum SS. Conjugum & applausu
avium in horto.*

19. *De apparitionibus Angeli.*

20. *An conjuges ad locum confusionis tam citò
redierint?*

21. *De loco concepta Deipara.*

22. *De loco partus S. Anna.*

23. *De stirpe & oru Maria & Ioseph.*

PRÆ-

P R Æ F A T I O

AD LECTOREM.

PAucis te volo, Lector amice, Eccli. 24. c. Syl-
labatim legitur: *Qui elucidant me vitam
æternam habebunt.* & Prov. 8. c. *Beatus homo, qui
audit me, & vigilat ad fores meas quotidie, & obser-
vat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet
vitam, & hauriet salutem à Domino.* Ubi glossa
ordinaria per fores & postes, intelligit Scriptu-
ras vel Doctores, sine quibus ad vitam, quam pol-
licetur, non valemus ingredi. Sic nos ad sui amo-
rem, cognitionem & cultum excitat Sapiencia
æterna, Verbum increatum, in plenitudine tem-
poris caro factum, ut perditum hominem redu-
ceret, suoque uniret principio. Cum itaque hu-
jusmodi incarnati Verbi elucidatio, sit ad vitam
æternam meritoria, eò respexit Exegetici mei de
S. Annâ Aviâ Christi anno 1640. publici juris fa-
cti explicita intentio, & nunc Decennium abiit,
quo multo cum fructu ejusdê exemplaria distra-
cta sunt: Et licet recens de eâdem materiâ Colo-
niæ anno 1648. subintrârit Tractatus Germani-
cus in diversa digrediens, quia tamen in exteris
regionibus Præsules, viri Prælatoris & doctrinâ
clari, curati animarum, alique fideles, desidera-
bant Exegetica, his ut piè obsequerer, simulque
substantiam Exegetici salvarem, circumstantias
quasdam elucidarem, firmaremque plenius, ac
infererem quædam, non omnibus pervia; eò sta-
tera animi mei inclinavit, ut historiam à capite
acces-

Prefatio.

accesserem, & ab ipso, (quod dicitur) ovo exordi-
diendo rescriberem, Deum, justitiam, & verita-
tem præ oculis habendo; cum ita natura compa-
ratum sit, ut nullus animo obveniat cibus sua-
vior, quam veri cognitio. Tractatum autem to-
tum bipartitum esse volui, ut pars prior historica
juxta ac moralis, pietatisq; incentiva esset: Poste-
rior vero exhiberet Notas seu Quæstionis asceti-
tias, veritatis agnitæ traditæque confirmatorias:
quo etiam tramite via pandetur opportunissima,
ut viri Ecclesiastici & Regulares (sicut magistran-
te experientiâ compertum est) pro sermonibus
ad concionem formandis, fælicius imbuantur,
aliique simile iter calcaturi dexterius manudu-
cantur, instar indicis mediante eodem tractatu,
sic etiam composito, ut sua novitate esse possit
gratissimus.

Istæ causarum potissimæ sunt, cur hanc Scri-
ptionem adornarim. Magis necessaria tractavi,
atque ea quæ conceptui sic connexa sunt, ut res
una alteram ad se trahat, nec alias integrè valeat
elucidari, ne dum brevis esse laboro obscurus fiã.

Erubescimus sine lege loqui; verba legis sunt, in
ore corû qui vel à limine Justinianum salutarun-
tissimæ: Servis autem Dei multò amplius con-
venit antiquas tenere vias, Majorumq; auctori-
tati inniti: quamobrem, quoad potui, alieno stu-
dii ore loqui, ex causis alias relatis: Auctoritates
conglomeravi, non tam ut sententiã hujusmodi
comuniores & probabiliore proferrent, quam

B

etiam

Prefatio.

etiam ut ii, quibus est curta librorum suppellex, saltem aliquas ex omnibus, facili negotio reperire possent. Quia etiam Joannes Trithemius anno 1494. de laudibus S. ANNÆ tractatum, & anno sequenti de miraculis ejusdem librum divulgaverat, (teste Joanne Busæo principio operum Trithemii anno 1605. Moguntiaë impressorum, in vitâ Trithemii) quorum exemplaria vix reperiuntur, studiosâ industriâ collimavi in hoc, ut præclara ejus dicta, ne interciderent, præsentî historiæ incorporarem; sed & obviâ poëmata intexui, ut aliqua iisdem dedita ingenia recrearem, juxta illud: *Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci, Lectorem delectando pariterque movendo.* Horat. de art.

Plura postulare præfatio, quæ ob varia causarum momenta, loco temporique indulgens, Silentio involvo. Tractatus hic ut ederetur, superiorem, in quibus Dominum consului, comprobavit voluntas: itaque parco, & antequam manum de tabulâ tollam, admoneo, apud pragmaticos turpe judicari, si cognitionem antevertant calculi, nec post causam licet legitime discussam, nisi vocatis vocandis, & auditis audiendis solet pronunciari sententia. Proinde te quæso, amice Lector, studium hac in re collocatum æqui bonique consule, & si quæ sphalmata admissa, humano metiaris ingenio, instrue errantem, & vineta mea ipse cædam; Si me tibi profuisse, aut alteri cunctique benè merendi occasionem dedisse cognoveris, collauda Patrem luminum, ad cujus gloriam totum refero, atque pro peccatrice anima infirmi (salicernio proximi) ardenter suspira, ut eum Rex, cui omnia vivunt, ad consolationem & requiem æternam misericorditer introducat. Hæc habui ut præloquerer. Vale.

HISTO-



HISTORIA
SS. JOACHIM

ET

ANNÆ,

Geneseos, vitæ, transitus &
connexorum.

PARS PRIMA.

Introductio §. 1.



*Audemus viros gloriosos & pa-
rentes nostros in generatione suâ.
Eccli. 44. Post S. Joannem Dama-
scenum Joannes Trithemius in il-
lustri Ordine S. Benedicti Abbas,
gloriosissimus extitit admirator & præco S. An-
næ unde meritissimo jure principe loco intro-
ducendus venit, cujus ad thema adductum ver-
ba consonant sequentia: Si Deum generaliter in
Sanctis suis laudare præcipimur, parentes ejus
sine dubio honorare & colere persuademur. Qui
enim nobis parentes nostros honorare præcepit,
suos secundum carnem minimè excludit. San-*

B 2

Etum

*Trithemius de laud. Annæ C. r. Georg. Bartholdus Pontanus
rom. 4. Bibliothecæ pag. 386.*

Etum est ergo sedulas illis devotionis laudes impendere, de quorum sanguine carnem DEI filium credimus sumpsisse. Inter quos Beatissima Dei genitrix jure principatum obtinet, cujus tanta sanctitatis merita, ut super choros angelorum sit exaltata in caelis. Post eam sanctissima ejus Mater Anna, de qua loqui instituimus, sicut carne Dei filio est proxima, ita virtutum meritis praesantis caeteris creditur accepta. Nec de sanctitate ejus liceat dubitare nobis, quam sine originalis culpa macula Dei Matrem credimus peperisse. Non enim potuit tanta virginis mater esse nisi sancta, per cujus partum virgineum, sumpsimus aeternae salutis remedia. Ita Trithemius suum sensum, exemplo SS. Patrum, per homaeoptota efferre affectavit, à Rhetorum pigmentis recedens, quem ex diversis quantumvis attributis clarum, illustriorem tamen ex locupletissima proprii ingenii, doctrinaeque eximia gaza Joannes Busæus^b celebravit. Eundem Arnoldus Wion^c sacrae Theol. ac J. U. Doctorem atque sacrae Scripturae & bonarum literarum illustratorem indigitat incomparabilem. Audiatur itaque amplius dicens: *Conabor pro devotione mea quod valeo: quia nemo quod non potest à Deo exigitur: nemo apud internum*
judi-

^b Busæus in Dedicatoria operam Trithemii anno 1605. Moguntiae procuratorum.

^c Wion ligni vitae lib. 5. c. 85.

judicem bonæ voluntatis vacuus judicatur:
Laudabo igitur homo Deam: famulus Domi-
nam: Peccator sanctissimam: Neque enim à lau-
de Dei peccatores cohibuit: qui in Psalmo dixit:
Laudate Dominum omnes gentes: Laudate eum
omnes populi. Enim vero dum gentes ad lau-
dem Domini excitat: quid aliud quam peccato-
res vocat? Erant enim longè à justitia: qui non
Deum sed idola colebant. Nemo ergo tacere à
laudibus Dei permittitur, quando etiam gentes
idololatra ad pœnitentiam vocantur. Laudent
ergo Dominum omnes, qui misericordiam ejus
percipiunt. Laudent omnes qui in carne vi-
vunt: quia ipse est qui omnes nos condidit: ipse
qui vitam dedit. Laudet justus simul & pecca-
tor, ille, quia misericordia Domini ne caderet
servatus est, iste, quia etiam post lapsum, ne in
eternum periret, erectus. Etsi non sit speciosa
laus in ore peccatoris, neminem tamen à laudi-
bus Dei excusat rea conscientia: cum ad pœni-
tentiam ejus misericordiâ omnes reserventur.
Ferat justus laudem, peccator confessionem.
Laudet ille, quoniam gratia præservante forti-
ter stetit: confiteatur iste, quia misericordia
subsequente surrexit. *Lauda anima mea Do-
minum: Laudabo Deum meum in vita mea:
Psallam Domino quam diu fuero. Aperiam os*

Pars I. Historiæ

meum ad confitendum Domino, mentem pariter aptabo & calamum, laudes Beatissimæ Matris Anna, quâ possum devotione cantabo.

2. De gloriâ hominum, ex honore parentum, alibi ^d actum est: obsequendo itaque monito Sira- cidis præliminari, ducatum aliorum sequen- tes, loqui ordimur, Ruth. 2. cap. Moabiditis ex- emplo, metentium in agro Dominico gressus in- sequendo, ut spicas, quæ forte metentium sub- terfugerunt manus, aut etiam de industriâ ex pa- trisfamilias voluntate fuerunt relictæ, colliga- mus, & in singulos coaptemus manipulos.

^d Exegetici de S. Anna historici c. 1.

Invocatio supremi numinis §. 2.

Sumite materiam vestris qui scribitis aquam *S*viribus, canit Poeta ^a. Causa quam adorna- mus res gravis est, quocirca supra benedictam veneror Triadem, solem æternum, ut ejus coru- scantibus radiis, veritas intellectuali oculo omnium plenissimè illucescat. Deus Pater cæle- stis primum mihi invocandus est, ut qui per fi- lium suum **JESUM** ex sponsâ virgine incarnatum, ^b in plenitudine gratiæ hominibus apparuit, pa- rentelæ quoque ejusdem notitiam pleniorum fidelibus affulgeat. Invocandus est mihi **JESUS** ipse, ut eosdem parentes, ex quibus homo factus est, laude condignâ prosequar: nam talis in pa- rentes affectus, pietas in filium est. ^c Interpel- lan-

^a Horat. de arte poetica.

^b Exegetici c. 1. Plenius.

^c S. Bern. homil. 4. super Missus est.

landus quoque S. Spiritus unus cum Patre & Filio individuus Deus, qui à Sanctis Joachim & Annâ, sterilitatis removit obstaculum, intemeratæ filiaë virginis uterum suo complens spiramine, usus potestate Creatoris, benedictum fructum **JESUM** super sedem David posuit. Tu demum Regina Cælorum, materque **JESU** & virgo sacra ta dignare me laudare te, atque isto in ordine eundem spiritum sanctum, qui pectusculum tuum superveniens, sacrosanctæ Trinitati consecravit, pro nobis exora, ut mentem nostram collustret in hoc argumento, omniaque parentibus tuis digna commonstret, quo eorum laus in te resultet integrior.

2. Alii, inquit S. Hieronymus, offerunt in templo Domini aurum, argentum, pelles hyacinthinas: alii piles caprarum & falsâ molâ litant, ut in proverbio est, qui thura non habent; atque interim non tam qui potum vini aut aquæ liquorum ad motâ operâ calefactæ, quam etiam ipsa veritate attestante, ^d qui calicem aquæ frigidæ Christi discipulo offert, mercede donabitur. Perplacuerunt quoque pauperulæ viduæ æra minuta duo: is itaque cæptis aspirabit, cujus causa præsens quantulacunque opella adornatur.

^d Matth. 10.

*Ob quas personas hæc genesis
adornata sit §. 3.*

E Gredimini filiaë Sion & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua.²

B 4

sua.²

¶

Pars I. Historia

Sua. ^a Verus noster Salomon & Rex pacificus in summitate arboris genealogicæ constituitur. Infra ipsum constituuntur virgo Mater Maria & parentes ejus. *Ioachim & Anna* parentum erant nomina^b de quorum progenitoribus ^cagemus in tempore. Liquet quod Pater in generatione pars sit potior. Accedit vetustus hymnus: *Lucis hujus festa de S. Anna versum hunc exhibens: Ex hac carnis plantâ surgit virgo sancta, ex hoc fluvio fonte lapis cæsus monte.* Jodocus Chlichtoveus Parisiis SS. Theol. Doctor & Professor in Elucidario Ecclesiastico anno 1515. condito memorati versus explanationem dilucidam reddit hujusmodi: *Quoniam ex B. Anna nata est Deipara virgo Maria, & ex hac natus est Dominus noster Iesus Christus: Consequens est ipsum & ex S. Anna sumpsisse originem secundum carnem, quod hic etiam versus recte astruit. O igitur animæ electæ jam nunc egredimini, & videte Regem Salomonem. Obstupescant cæli, & terra lætetur, ob miraculum omnium miraculorum: Filius Dei Christus Iesus in cælis habet Patrem, matrem in terra. Ad quæ respicit S. Bernardus dicens: ^d *Calum ex patre, Nazareth ex matre vendicat sibi.**

2. Domus à vestibulo censeri solet^e, & nostra arbor genealogica primo contuitu oculos animæ intellectuales pascit, recreat, & mirificè inflammat. In eâ insigniter elucet, quod non sint
viæ

^a Cant. 3. ^b Nicephorus lib. 1. c. 7. ^c infra §. 7. ^d Bern. serm. 3. de Annuntiat. ^e Ambros. lib. 2. de virg.

viæ Dei, sicut viæ hominum. Mortalibus solemne est, dum oculis corporeis objiciendam efformant arborem genealogicam quantumvis viridem, floridâ & omnigenis comptulam pigmentis, quod tamen sive in arboris cacumine, sive in ramis collateralibus, dum expirat ulterior carnalis propagatio, arboris extremitates hujusmodi tristiori spectaculo pingantur aridæ, juxta illud: *Generatio advenit, generatio præterit.* Arbor autem nostra longè aliter designata conspicitur, admirando Spiritus sancti consilio dicentis: *Exurget virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet.* Cacumen itaque Jesseæ arboris, non in trunco arido, sed in flore JESU Nazareno terminatur. Nazareus idem est quod floridus. Sed forte ex cacumine viridanti & flore exigis propaginem? Contemplare filias Sion animas electorum, cui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt. Genealogia itaque præsens terminatur in JESU filio Mariæ, cujus parentes fuerunt Joachim & Anna, quam rem terrigenis, cælitibusque mirandam Jodocus Beiselius Patricius Aquensis in suo de S. ANNA Rosario sic decantat:

*Anna tuum tecuit tanta expectatio partum,
 Hand facile est matrem matris habere Dei.
 Anna tua sobolis laudes super astra volabunt,
 Te quoque felicem secula cuncta ferent.*

f Eccli. 1. c.

g Esaiæ 11. c.

B §

ELLE

ELECTIO SS. IOACHIM

& ANNAE. §. 4.

Novit Dominus ^a qui sunt ejus, & novit quos elegerit. S. Thomas Doctor Angelicus docet: ^b Quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat & disponit, ut idonei sint. Electio autem præsupponit amorem vel Dei dilectionem. Quæritur namque quos vel quales homines Deus amat ab æterno? Ad hoc respondet ^c Magister: Dicimus de electis solis simpliciter hoc esse credendum, quod Deus ab æterno eos dilexit, quos ad justitiam & coronam præparavit. De non electis verò simpliciter est credendum, quod odio habuit eos Deus, id est, reprobavit sicut legitur: ^d *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Eccli. 12. *Altissimus odio habet peccatores.* S. Augustinus: Scio Deum inimicum esse omni criminoso. Ad propositum, ex quo Joachim & Anna prædestinati & electi ab æterno erant, ad summam hanc gloriam, ut essent parentes Mariæ, Avus & Avia Christi, sequitur quod fuerint privilegio maximo admati.

2. S. Joannes Damascenus ^e ait: *Ipsa Deipara Maria, ante secula præcognitio Dei consilio prædefinita est, & diversis similitudinibus & oraculis Prophetarum, per Spiritum sanctum figurata & prædicata, in prædefinito tempore ex Davidica radice pullulavit.* Et alibi rursus eam à Deo prævisam

^a 2. Tim. 2. ^b S. Thom. 3. part. quæst. 25. art. 4. ^c Mag. in 3. dist. 32. ^d Malach. 1. ^e Dam. lib. 4. Orthod. fid. c. 15. & Orat. 1. de nat. Mar.

vifam & amatam afferit. In cuius confideratione myfterii, doctiffimus juxta ac piiffimus Scriptor, Nicolaus Cardinalis Cufanus exclamat: *f* *Vide mirabilem Deum, qui ab aeterno praedestinavit fibi temporalem matrem. Aeternitas creat fibi matrem unde generetur. Ita & Rupertus Abbas Tui-tienfis & affirmat, rectam esse sententiam, quod Mariam Deus elegerit ante constitutionem mundi, ut effet sancta & immaculata in conspectu ejus, & si sapientia jam antequam fieret, ludens erat coram eo in orbe terrarum, & delicia ejus esse cum filiis hominum, quanto magis ludens erat & deliciabatur cum ista Ancilla Domini miraculo cunctorum filiorum vel filiarum hominum.* Eandem pari passu in mente divina ab aeterno praevifam, praordinatam & praedestinatam demonstrant Pelbartus Themefwar^h, Petrus Galatinus l. 7. c. 1. & passim alii. Quia ergo Maria non fortuito inventa fuit, simul ad ejus parentes fit relatio, uti recte canit oratioⁱ subsequens: *Deus qui S. Joachim Patriarcham ab aeterno elegisti, & in thoro immaculato cum S. Anna vivere fecisti, unde matrem tuam gloriosam virginem Mariam, sine contagio originalis peccati, mirabiliter procreasti: concede nobis fidelibus eius memoriam agentibus à cunctis vitiis emundari, donisque virtutum ornari, ut aeterna gloria valeamus in caelo coronari. Qui vivis &c.*

3. De

f Cusan. excitat. lib. 7. ferm. Qui me invenerit. *g* Rup. lib. 2. super Cantica. *h* Themefv. stellarum lib. 5. par. 1. a. 1. *i* Diurnale Ord. Carmel. edit. 1503. Paris. in Septembr.

3. De S. Anna Trithemius, ^k Verè, ait, sancta, qua in matrem Dei genitricis prius fuit electa, quam nata. Verè digne est honoranda, quam gratia Dei preveniendo in matrem genitricis disposuit & semper conservando sanctissimam effecit.

4. Post electionem matris insinuatam, filia electionem connectamus: S. Mechtildæ virgini & ^l Prophetissæ in festo natalitio Deiparæ, apparuit ipsa benignissima virgo dicens: ^m Admone me gaudii, quo nunc gaudeo, ex hoc quod video & agnosco gaudium altissime Trinitatis, quod habuit quo sibi in me complacuit ab aeterno: & specialiter in meâ nativitate in tantum exultavit, ut ex abundantia sui gaudii, calum & terra, & omnis creatura licet tamen nesciens, exultaret. Sicut enim artifex qui mirificum opus facere decrevit, magno studio premeditatur & in delectatione cordis sui preimaginatur: sic altissima Trinitas in me delectabatur & gaudebat, quia talem imaginem facere volebat, in quâ totius potentia, sapientia, & bonitatis suæ artificium, elegantissime appareret. Insuper quia sciebat opus suum nunquam in me deficere, donec perficeretur. In tantâ, denique jucunditate & exultatione nativitatem & infantiam meam dignata est providere, ut omnis actus pueritiæ meæ coram eo delectabilis ludus videretur, juxta illud: Ludens coram eo omni tempore. De quibus fusius Joannes Mauburnus Abbas Liuriacensis. Roseti

exer-

^k Trit. c. 3. & 5. de laud. S. Annæ.

^l VVion ligni vitæ lib. 5. c. 90.

^m Mechtild. lib. 1. c. 52.

exercitiorum tit. Alphabeto 56. membro 1. Jacobus Perez de Valentia Episcopus Christopolitanus in expositione Cantici Magnificat, editionis 1514. Lugdunensis folio 399.

*PRÆFIGURATIO SS. JOACHIM
& ANNÆ. S. S.*

Dominus possedit me ab initio viarum suarum. Prov. 8. sicut omnipotens Deus ante mundi constitutionem, tempus quo nasceretur ab æterno præordinavit. ^a Neque enim invenit parentes Dei filius, sed præmisit, qui eos sine tempore ad tempus ordinavit. Confidenter ergo S. Joachim & S. Anna dicere potuerunt, quod de æternâ Dei Sapientiâ scribitur: *Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Erant ante mundi constitutionem in mente divinâ non per naturam facti, sed per gratiam præordinati.

2: *Ab æterno ordinata sum & ab antiquis. Nondum erant abyssi & ego jam concepta eram* ^b. S. Mater Ecclesia ^c hujusmodi divina eloquia virgini Deiparæ congruentissimè adaptat: siquidem duæ ejusdem conceptiones extiterunt, una æterna in mente divina, quando Deus illam in matrem Salvatoris Mundi destinavit, eique excellentiora dona, quam unquam puræ creaturæ data fuissent, designavit. Unde S. Gregor. Nazian-

zian-

^a Trithem. ex c. 5. de laud. S. Annæ & Georg. Barthold. Pontanus tom. 4. bibliothecæ in festo S. Annæ. Petrus Biverus pag. 9. & 62.
^b Ibid. Prov. 8. & Missale Rom. in festo Concept. & Nat. B. Virg.

zianzenus ^d nullam omnino creaturam posse
 Mariæ comparari duxit, quod & gratiâ & per-
 fectione omnes antecellat. Altera conceptio se-
 cundum Alphonsum Tostatatum Episcopum Epu-
 lensem ^e in tempore, annis à creatione mundi
 3948. elapsis, in utero Annæ, patre Joachimo,
 fuit adimpleta. De qua S. Anselmus ^f scribit:
 quod summi sapientia Dei nullam in massâ crea-
 tionis humanæ viam invenerit, per quam, ut
 disposuerat, in mundum veniens, tam luctuosæ
 perditioni subveniret donec ad istam, de qua lo-
 quimur, virginem ventum esset &c. Nec fuit ista
 virgo subito & casu inventa, sed ab æterno præ-
 destinata, unde Damascenus ^g: Ipsa Dei genitrix
 ab æterno etiam, præviso tempore Dei consilio
 prædeterminata, & diversis imaginationibus &
 sanctificationibus prophetarum per Spiritum
 sanctum præimaginata & prædicata fuit. Virgo
 itaque beata rectè dicit: *Ab initio & ante secula
 creata sum.* Virgo singularis quomodo dicit: *Ab
 initio creata sum?* Nonne tu es filia Divæ Annæ?
 nonne in temporis plenitudine aliquot anno-
 rum millibus post mundi creationem incarnata?
 verum est, sed dico me ab initio fuisse creatam;
 quia Deus me creavit, sicut quos ab initio crea-
 vit, hoc est instar Angelorum. Nam B. Augusti-
 nus ^h & D. Thomas ⁱ affirmant omnes Angelos
 in gra-

^d Nazian. in tragœdiâ de Christo pat. ^e Abulensis in c. 2:
 Matth. q. 91. ^f Anselm. lib. de excellentiâ virginis. ^g Damasc.
 orat. 1. de nat. B. Virg. ^h August. lib. 12. de civitate Dei cap. 9. à
 medio. ⁱ D. Thom. par. 1. q. 72. a. 3.

in gratia creatos fuisse. Hilarius autem B. Virgine[m] alloquens dicit: *O virgo benedicta, quæ omnes angelos vincis puritate*: Recte quidem, quia angeli licet in gratiâ creati, ab ea excidere potuerunt, sicut revera multi corruerunt: at virgo sanctissima ita fuit in gratiâ creata, ut statim in illâ fuerit confirmata. Tota etiam pulchra, sine maculâ originali, quæ ex generatione parentum in proles dimanat; ergo & ad Annam matrem, in cuius utero concepta Maria immaculata mansit, necessario faciendâ est relatio: sicut neque B. Virgo potest vocari mater nisi correlativè ad Christum filium. *Sapientia edificavit sibi domum* Prov. 9. c. Ante adventum Regum condignum adornatur habitaculum, quod appositè S. Damascenus^k fælicissimus virginis genealogicus præco, insinuat inquit: *Oportebat prius palatium parari atque ita Regem adesse*. Iacobus de Clusa SS. Theol. Doctor Carthusianus ferm. 1. de concept. & Philip. Diez con. 1. in nat. B. Virg. prosequuntur insigniter. Porro quemadmodum vix licet reperire figuram aliquam de Christo, in qua non etiam umbra aliqua Mariæ conspicitur: ita & figuræ de eadem, simul & sanctissimam matrem Annam communiter involvunt. Sarumensis, in Angliâ, Ecclesia, in Breviario anno 1495. Venetiis cuso concinit: ¹ *Quicquid in genealogiâ insigni Christi ad evangelicam respicit historiam, totum ex abundanti recurrit ad Annam, ut ipsa sit quasi*

^k Damasc. orat. de nat. Mar. 1 Sarum. lect. 9. festi S. Annæ.

quasi quedam meta legis & gratiæ, per quam dignitas humana videtur in Christo restoruisse naturæ.

3. In principio creavit Deus cælum & terram ^m: quæ verba S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, SS. conjugibus Patronis nostris congruè adaptat, ut loco ⁿ magis oportuno patebit. Sacræ Scripturæ figuras ultiores adducunt seculi elapsi Scriptores laudatissimi, ^o dicentes: Quanta obsecro illa esse debuit, quæ singularibus & prope divinis expressa olim figuris mortalibus innotuit? Fuit ipsa radix illa Jessea p ex quâ virgâ, virgo nimirum Deipara est egressa, & è virgâ flos Christus ascendit. Fuit terra illa sancta quam Moyses contingere, nisi solutis pedum calceamentis, non poterat, & ex quâ rubus ille mediis in flammis incombustus, ^q (Deipara) pullulavit: Fuit cælum illud, ex quo electa ut Sol processit, & in quo pulchra ut luna apparuit. Atque ut figurarum istarum tenebras amoveamus, fuit ipsa, quæ non umbratilem aliquam & ligneam, sed veram Dei arcam, Dei Matrem, novem mensibus, non tecto, sed utero castissimo conclusit. Unde si gloriari jure potest Obededon, quod quoniam suâ in domo Dei arcam receperat, divinâ quadam benedictione rerum omnium prosperitatem ac fælicitatem est consecutus, qui non tandem cælestium charismatum imbres divinitus è cælo missi in sanctissimam Annam redundaverunt? quæ

^m Gen. i. c. n infra §§. 10. & 11. ^o Michael de Hungaria serm. i. de S. Anna. Joannes Justus Lanspergus serm. 4. de S. Anna: p Isaias: q Exod. 3.

quæ non plena perfecta que fælicitas, non dico domum ejus, quanquam domum etiam^r, sed animum ejus, ac totam ipsam occupavit? Fuit arbor bona, de qua excisa est virga Aaron, quæ sicca permanens per seipsam divinitus floruit & amigdala produxit. Laudatur præterea beatissima virgo Maria, admirabilisque prædicatur, Spiritu sancto in epithalamio sacro dicente: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & universis pulveris pigmentarii?* Maria virgula fumi est, nimirum suaviter odoriferi. Sed qui sunt, qui suavem hunc odoriferumque fumum spirant aut generant? nisi myrrha & thus, hoc est Joachim & Anna, & universitas pulveris pigmentarii, hoc est, illustrissima parentela regia & Sacerdotalis, de qua longo ordine descenderunt.

4. Ex iis modo claret, cum beatissime virgo exusque adeò generosâ stirpe, per medium nobilissimorum suorum parentum JOACHIMI & ANNÆ nata sit, quod in eâ fuerit claritudo, ingenuitas, dignitas, & nobilitas, quæ in aliquo humano individuo esse queant, secundum sanguinis originem; quæ & propterea testimonio evangelico, meritò præferatur omnibus Principibus, Reginis, Imperatoribus, & Ducibus totius Orbis, quæ in nobilitate satis superque nobilitata, maximè autem ab illo quem genuit. Unde Petrus Damianus: *In humano genere ille nobilis dicitur,*

C

quæ

5 Num. 7. *f* Cant. 6. *t* Dam. serm. de Nat. B. Virg.

qui claris Majorum titulis insignitur, B. V. Maria licet de generosa sit patrum stirpe progenita, ab illo tamen trahit excellentissima Nobilitatis genus, qui de illa est novo nascendi genere procreatus, & per clarissimam sobolem omnem humani stemmatis excedit nobilitatem, clara proavorum titulis, sed incomparabiliter clarior, generositate prolis. Filia siquidem Regum, sed mater Regis Regum.

5. Figuras Joachimi accipere licet, de Astryage Rege & Madane ejus filia ex Vincentii speculi lib. 4. c. 1. Ludolphi Saxonis vitæ Christi par. 1. c. 2. Hermanni Nitzshe witz (post prologum psalterii B. Virg.) fol. 1. & 2. & Speculo redemptionis humanæ anno 1492. Reutlingæ Germanicè edito pag. 9. Consimilia exhibent Breviaria antiqua in festis SS. JOACHIM & ANNÆ, Romana, Trevirensia, Sarumensia, Ordinis prædicatorum & alia. Insuper vix ullæ ad filiam virginem adduci possunt figuræ, quæ non cum utroque vel altero parentum aptissimam habeant connexionem, ut paulo ante diximus. Hujusmodi virginis præfigurationes multas tradit S. Damascenus ^u inferius carptim relatas. Consulatur quoque Jacobus de Clusa * principio seculi quinti decimi SS. Theologiæ Doctor & Erphurti professor, postea ibidem Carthusianus. Mauburnus Roseti tit 24. alphab. 56. memb. 2. noster Cornelius Mussus postmodum Episcopus Bitontinus sermone de Assumpt. B. Virg. Biverus Trifagii Mariani pag. 53. 56. 59. 85. 153. & seqq. 6. Per

^u S. H. infra.

* Clusa serm. 1. de Concept.

Per Oden Joannis Bineti Hildephonsi præli-
minarem finiamus:

Virgo presagis prius à Prophetis

Sapius verâ vocitata voce

Mater, ex Anna genitrice, quam tu

Nata fuisses.

MYSTERIA NOMINVM IOA-
CHIM & ANNÆ. §. 6.

Nomen tuum & memoriale tuum in desiderio
anima^a. & Olivam uberem & pulchram
vocavi te. Plura suppetunt loca, per quæ Spiritus
sanctus haud obscure innuit nominibus certa
mysteria inesse. S. Thomas: ^b *Nomen imponitur*
ab eo, per quod res cognoscitur. Idem alibi: ^c *No-*
mina singularium personarum semper imponuntur,
ab aliqua proprietate vel operatione. Testantur
SS. Patres, ^d quod Joachim idem quod prepara-
tio Domini dicitur, & quidem in hoc sancto con-
gruentissimè, eò quod ex illo præparatû sit tem-
plum Domini, nempe virgo Deipara. O quan-
tum hinc universitati fidelium fælicitatis & gau-
dii resultat, quod ut loquitur Damascen. ^e *cum*
Joachimo visitati sumus.

2. Incidenter hic ad discussionem etymi He-
braici minimè dissimulandum venit, quod Heli
non sit Joachim: siquidem contraria juxta se po-
sita melius elucescunt. Heli idem est quod Deus

C 2

meus,

^a Isai. 26. & Jerem. 1. ^b Thom. par. 1. q. 12. ^c Idem par. 3.
q. 35. ^d Chrysof. tom. 2. hom. 1. in cap. 1. Matth. Epiphan. Episco-
pus Cypri serm. de laud. B. V. Fulbert. Carnoten. Episcopus serm. 2.
de ortu B. Virg. ^e Damasc. orat. de Nat. Virg.

meus, quis ergo nunc persuadeat, quod Heli & Joachim coincident, uti juniores Scriptores, ex Pseudographo Philone, de temporibus, hauserunt. Alii Eliachim vel Joachim per apocopen apud Hebræos Heli dictum commentantur, quasi verò S. Lucas qui in Evangelio Græcè à se conscripto Heli ponens non genuinum & integrum nomen expressisset. Alius Petrus Galatinus ^f cōminiscitur Jehojachin ex scæva literarum gutturis prolatione, per Syncopen scribi & pronunciari Jojachin. Alii patrem B. Virg. binominem & conjunctim Heli Joachim vocatum fingunt, quos refutat Salmeron. ^g multa dicunt isti & nihil probant. Plenius de his par. 2. q. 1. quæ etymologica significatio, de Heli, & realis disparitas, ante decennium Auctorem Exegetici fugerant, sed nunc recognoscit veritatis amore fretus, juxta dictum Cyrilli Alexandrini hujusmodi: ^h *Mens humana nonnunquam, si à rectâ viâ egrediatur, & à veris dogmatibus adducentem habeat motionem, fermè semper gravatur & formidat suarum cogitationum absurditatem desinire: cum se correxerit, & obiter labores scrutata fuerit sanctorum patrum, qui præ omnibus in rectitudine, & certitudine dogmatum celebrantur, suam rectè fidem explorabit, omnes enim quibus integrum cor est, illorum sententias sequi non detrectant, quia & ipsi apostolicâ & evangelicâ traditione suam mentem*

cum

^f Galat. l. 2. d. 2. arcan. Catholica verit. ^g Salmeron tom. 3. tract. 28. pag. 208. ^h Cyrill. in lib. apologetico tom. 4. edit. 1566. Basil. col. 155.

cum impleverint, & ex sacris Scripturis sermonem in fide rectum ac inculpatum pronunciarint, mundi fuere luminaria, sermonem vite continentia. Insuper Joannes Azorius tradit: ⁱ Potest quis sententiam fidei contrariam, tanquam veram subito credere, antequam cum Ecclesiæ vel fidei Catholicæ sensu eam dissidere & pugnare cognoscat, & tunc actus est liber à culpâ, si vero incipiat esse cognitio aliquantula non plena & perfectâ, quâ deprehendat eam dissentire & discrepare ab Ecclesiæ decretis, veniale tunc peccatum erit, sicut lethale post plenam mentis notitiam & deliberatam. Causas autem cur nomina JOACHIM & ANNÆ Spiritus sanctus in sacris literis non expresserit §. 9. infra edisseret.

3. Confirmabimus sequenti §. & in p. 2. q. 1. & ultimâ quod JOACHIM pater virginis Pantherem & Barpantherem progenitores habuerit; à diametro S. Spiritus Lucæ 3. c. Protestatur de Heli, quod fuerit Mathat, & hic quod fuerit Levi, scilicet filii. Confrontemus jam novitium commentum Philonis, dicentis quod Heli idem fuerit, qui JOACHIM pater Mariæ. Detrahamus Larvam, ut videamus quis vir ille fuerit cupiens novus auctor haberi. Melchior Canus Episcopus Canariensis Theol. locorum lib. II. c. 6. tradit: *Doctis omnino viris Philo de temporibus inscriptione planè eminente videtur esse suppositus,* (quod Canus probat & mox concludit:) *Itaque*

C 3

miror

i Azor. tom. I. lib. 4. c. 5.

miror quid in mentem Annio venerit, ut eum librum, in quo multa falsè, pleraque absurde, nonnulla etiam contra Scripturam dicuntur, Philoni attribuit, viro doctissimo & prudentissimo. Sed plures audiamus viros Zelo Dei ductos: Philoni Aniano Benedictus Pererius lib. 1. in Genesin sic obviat: *Commentitii & mendaces sunt Annales Joannis Annii, Viterbiensis, speciosis titulis Berosi, Mehaftenis, Manethonis & Philonis subornati & fucati, qui multis memoria nostræ cetero qui doctis viris, non tam in antiquitatis literatè peritis imposuerunt.* Posssevinus eadem dicit bibliothecæ selectæ l. 16. sect. 4. c. 1. & in Apparatu sacro edit. 1608. pag. 282. Didacus Covarruvias variarum resolutionum lib. 4. c. 14. n. 4. & quotquot ab illo adducuntur. Ludovicus Vives, Faber Stapulensis, Joannes Vergara, Beatus Rhenanus, Gregorius Gyraldus, & Gulielmus Postellus, cum præmissis, Philoni & ejusdem evulgatori, fidem abrogant. Præterea Joannes Lorinus Actuum 4. c. v. 6. Torniiellus præfationis n. 9. & anno mundi 3743. n. 2. Robertus Bellarm. de Scriptoribus Ecclesiasticis. Franciscus Lucas Brugensis in cap. 1. Matth. edit. 1606. Antwerp. pag. 8. linea ultima. Cornelius Jansenius Concordiæ Evangelicæ c. 14. edit. 1582. Lugdun. pag. 122. Gilbertus Genebrardus in Chronico A. M. 3638. 3650. & 3690. & Sebastianus Barradius tom. 1. l. 1. c. 25. & 30. omnes uno ore consentiunt. Destructo itaque principali, relicta omnia quæ superædificata sunt, collabantur necesse est.

4. ANNÆ nomen illustraturus Abbas Trithemius ait: ¹ Anna gratia sive donatio interpretatur: nomen tanta parenti conveniens, quod non casu nascenti creditur impositum, sed à Deo præordinatum. Rectè namque interpretatur gratia, quæ matrem gratiæ erat paritura. Rectè gratia: per cuius intercessionem gratia Dei fidelibus impetratur. Interpretatur etiam donans sive donatio: quia eos quos in sui honore devotos reperit, multis gratiæ donis locupletes facit. Rectè donatio: per quam peccatorum donatur remissio. Quicumque ergo pondere peccatorum premitur, quicumque tentationum jaculis pulsatur, ad sinum Matris Annæ fidenter confugiat, preces & munera devotionis efferrat, & nil erit quod contra eum in malum prævaleat. Anna etiam gratia dicitur, secundum nomen suum postulanti, gratiam impetrare non desinit, si devotam fidem invenerit. Accedit noster P. Angelus del Pass dicens: ^m ANNÆ proprium nomen non absque mysterio quinque fæminis datum annotavit Comestor in 7. c. Tobix, Matri videlicet Samuelis, uxori Tobix Senioris, uxori Raguelis, viduæ Prophetissæ, & Matri Deiparæ. Cur autem? nominis significatio insinuat. Est enim Hanna seu Anna, idem quod gratiosa sive misericors, aut quiescens vel donans. Fuerunt autem illæ mulieres gratiosæ & sanctæ Deo, misericordes in proximum, moribus quietæ & placidæ, donantesq; se ipsas corde & corpore atque

C 4

opere,

¹ Trithem. in fine c. 12. de laud. S. Annæ. in Aug. in c. 2. Lucæ.

opere, ei qui se fecerat. At numeri hujus quinar-
rii ratio est, quod in quinque sensuum animæ &
corporis optimo regimine, sita sit, omnis gratia,
sanctitas & perfectio hominis, uti Gregorius in
parabola decem virginum explicavit. & The-
meswar. serm. 3. de S. Annâ.

5. Digniores esse sanctos Joachim & Annam
quam quod cum aliis Sanctis comparari debeant
ait P. Carolus Veronⁿ Augustinianorum Pro-
vincialis. Lubet itaque altiore viam ingredi &
etymon nominis profundius discutere. Vetusti
Scriptores Origines, ° Philo p Alexandrinus,
Damascenus, aliique universaliter Annam inter-
pretantur gratiam; Beda q & alii per Annam do-
num gratia intelligi censent. Jam nunc Joannes
Carthagena, de arcanis Joseph & r Mariæ memi-
nit, quod poctæ confingant puerum quendam
nomine Cyparissum in sui nominis arborem
conversum fuisse. Quod Anna autem tota in gra-
tiam transierit, vel verum donum gratiæ emi-
nentissimum fuerit, patebit ex pleno libramine
tractatus presentis, adeò ut verè dici possit *secun-
dum nomen ejus, ita & laus ejus*. Psal. 47.

6. Themefwar ait: *Anna habuit gratiam,
ut esset altissima sanctitatis præ aliis hominibus.*
Castissimum fuit conjugium ejus ut dicemus in
tempore. r Rectissime ei itaque appropriabitur
thema:

° Veron in triumpho Joachimi & Annæ lib. 4. c. 15. ° Orig.
hom. 11. in c. 25. Gen. & tract. in Matth. c. 17. p Philo princip. tract.
quod Deus sit immutabilis. q Beda tomo 3. de interpr. nom. he-
braic. r Carthag. lib. 1. hom. 16. n. 5. f Themefv. in festo S. An-
næ serm. 2. t infra §. 10. Conjugium sanctum.

thema: *Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata.* Eccli. 26. quod insigniter prosequitur Lansbergius ferm. 2. de S. Anna edit. 1545. Colon. fol. 215.

7. *Annapia mater ave, cuius nomen est suave,* ex verbis Ecclesiæ accinunt hortulus animæ edit. 1513. Antwerp. Nicolaus Salicetus Abbas Antidotarii, edit. 1515. Paris. fol. 140. & 1552. ibidem recusi fol. 253. & Ecclesiæ prosa alia, quæ incipit: *Cæli Regem attollamus &c.* sic clauditur: *Anna rectè nuncuparis, quia gratiosam paris, Matrem omnis gratia,* Mariani nominis etymon Exegetici c. 9. expressimus. *Jesus Salvatorem significat. Quid nominis, Principium disciplina,* rectè dixit ^xPhilosophus; haustâ itaque energiâ sublimi sacratissimorum nominum, latus dicendi campus pateret absque exitu, terminemus itaque vetusto sed pio metro huiusmodi:

IESUS nostra salus: venerabilis Anna: Maria;
Sunt tria Christicolis nomina sacra nimis:
Nomina sacra polus, quæ sol miratur & astra,
Angelicique greges sedulitate colunt.
Hæc nobis rorant pigmenta salutis opima,
Ambrosiamq; sacram, nectar, aroma, favum.
Laudibus immensis totum veneranda per ævum
Noxia corda trahunt & sine fine beant.

^u Missale Rom. 1532. Lugdun. in fine. ^x Aristot. c. 1. lib. 1. poster. Analyticorum textu 1. & alibi sapius.

PROSAPIA SS. IOACHIM ET
ANNÆ, Natalisq, sedes. §. 7.

Fundamenta eius in montibus sanctis, Psal. 86.
Genealogiam S. Joachim irrefragabilem tenemus. Natus est avo ^aPanthere, Patre Barpanthere, de tribu Juda, de domo David: nam Melchi Jannæ filius, à Zorobabele (in utroque libro generationis nominato) gradu quinto & decimo descendens, factus est Pater Levi, Avus Mathatis & Pantheris, Proavus Heli & Barpantheris, quorum ille sanctione Mosaycâ pater evasit Legalis Josephi, Jesu nutritii; hic autem genuit Joachimum patrem Deiparæ. En quomodo regali ex progenie Maria exorta refulgeat? Unde Damascenus: ^b*Ex tribu Juda Davidem invenientes, ex Davide autem Christum genus ducentem, (hoc demonstrato) perspicuè virginem quoque ex Davidis genere, qui ex Juda Ortum traxit, esse reperiemus, siquidem idem genus habet id quod gignitur, cum eo à quo gignitur.*

2. S. Romana Ecclesia ^cadductæ genesi fidem accomodat, unde meridiano clarius jubare elucet, quomodo impleta sit Isaia Prophetia: *Egredietur Virga de radice Jesse, & Flos de radice eius ascendet.* Obmutescat ergo Faustus Manichæus, Joachimum Leviticum mentiens: Confundatur Philo de temporibus aliam periculosam genesis confingens: explodatur Herodes Ascalonita Rex,

^a Diez conceptu 1. in Besto Concept. ^b Damasc. lib. 4. fidei c. 15. ^c probatur p. 2. q. 1.

Rex, qui ne obscuritas sanguinis sui detegere-
 tur ^d fertur omnes genealogiarum libros incen-
 disse: sed mentita est iniquitas sibi, comprehen-
 sus est Herodes in astutiâ suâ. Nobis enim Da-
 mascenus adductæ genealogiæ testis manet irre-
 fragabilis, qui quidem seculo Christianæ ære sex-
 to decimo, Latinus factus, majoribus nostris in-
 notuit, & in urbe Basileâ, inter primicerias, hæ-
 reseos cupidissimâ, typis descriptus, tardius di-
 vulgatus fuit. Interea tamen non latuit, quo pa-
 tre, quo avo, mundo illuxerit S. Joachim. Hujus
 asserti testes sunt vetustus Andronici Constanti-
 nopolitani Dialogus parte 2. q. 1. n. 5. describen-
 dus. Bertrandus Cardinalis serm. 2. de Nat. Do-
 mini. Nicolaus Liranus in cap. 1. Matth. Otto Pas-
 sovicius in throni aurei senec 12. speculum redem-
 ptionis humanæ pag. 12. Fasciculus temporum
 edit. 1495. Venetiæ fol. 65. Petrus de Natali-
 bus Episcopus Equilinus in nat. B. Virg. Tho-
 meswar Stellarii lib. 8. par. 2. a. 3. c. 1. Dionys. Ri-
 ckelius a. 2. sup. Matth. Hungarius Pestiensis ser.
 83. de Sanctis. Gualtherus Bornius vitæ S. Annæ
 c. 23. Petrus Wilderat, Vineti c. 3. Guilhelmus
 Parisiensis in Postilla majori a. 1514. Basileæ edi-
 tâ tractans de Concept. B. Virg. Breviar. Roma-
 num 1510. Paris. editum in Festo S. Joachim. Ga-
 latinus de arcanis fidei l. 7. a. 1557. Colon. edit.
 pag. 795. Thomas de Vio Cardinalis Cajetan.
 in c. 1. Matth. Joannes Eckius hom. 1. in nat. B. V.

Fride-

d. Salmeron prologom. 1. quinquagena secunda can. 8. Bel-
 larm. apparatus n. 26.

Fridericus Naufea hom. 88. de SS. in nat. B. Virg.
 Henricus Mauroy in Apologia pro Judæis fol.
 167. Quia autem de avorum ætate loquimur,
 multiplicem Concursum Recentiorum Scripto-
 rum commemorare superfedemus.

3. Insuper signanter hic considerandum, quòd
 binæ gencalogiæ per Matthæum & Lucam de-
 ductæ, coincidant in Zorobabele, cui duo fue-
 runt filii, Refa & Abiud: atque hinc Lucas per
 Refa & Matthæus per Abiud lineam tribus Juda
 prosequuntur, donec Matthæus terminet in Ja-
 cob patre naturali Josephi, & Lucas in Heli, qui
 ob suscitatum semen ejusdem pater factus est
 Legalis. De Joachimi Ortu diximus supra. Lau-
 rent. Beyerlinck ^c consentiens ait: Joachim Ma-
 thatæ filius & Zorobabelis nepos, venerandam &
 laude dignam (ANNA M) Mathanis Sacerdotis &
 Mariae filiam, Elizabetha Matris Joannis Baptiste
 cognatam in matrimonium duxit.

4. Nazarethi in Galilæa in lucem editus fuit
 Joachim, secundum dispensationem carnis futu-
 rus avus, sui ex filia nepotis JESU, Oraculo pro-
 phetarum & usurpatione Judæorum Nazareni
 indigitati; Nazareth florem significat, quod præ-
 clare ab Isaia II. c. *Egredietur virga de radice Jesse*
 & *flos de radice eius ascendet*, prænunciatum est.
 Germen propriè ait Damasc. ^f David est, Virga,
 Maria, flos autem, Christus accipitur, inquit:

Ego

^c Beyerl. prompt. moral. p. 3. in f. Præsent. ^f Dam. Orat. 2.
^e Nativ. B. Virg.

d

Ego flos campi & lilium convallium, S. Andreas Archiepiscopus Cietæ in annunciat. SS. Dominæ nostræ. Petrus de Posnonia serm. 3. Dominicæ intra Octavam Nativitatis, Alphonfus & Salmeron tom. 3. tract. 4. pag. 31. de eodem fusius.

5. Annæ parentes, Stolanum & Emerentianam, de tribu Juda censuit antiquitas. § Recentior autem opinio vult, quod Mathan Sacerdos, & Maria conjuges, Bethlehemiticas tres sorores produxerint, Mariam, Sobam & Annam, cujus asserti in Græcâ Ecclesia ætate satis sera auctor fuit Hippolytus Thebanus; licet ejus loco Nicephorus Callistus^h falsò substituerit antiquissimum scriptorem divinum, ut dicat. Hippolytum Portensem Episcopum (aliis) gloriosum Christi martyrem & rectè sed personata auctoritas hæc intrusa, cum multos deceperit, adhuc sub iudice lis manet, utra sententia securius veniat amplectenda.

6. Natalis Annæ Locus Bethlehem domum panis significat, Deo sic providente, ut Anna ex inde oriunda, significationem illam definiret: Eapropter ut voluit Deus, beata & gloriosa Anna semen inclytum germinavit, quod S. Spiritu obumbrante, in Bethlehem granum protulit, de quo factus est Panis angelorum, hominum vita, & resurrectio mortuorum.

7. De Basi hac positâ, seu hujusmodi genesi, S. Antoninus ait: *In principio creavit Deus*
salum

g probatur p. 2. q. 2. h Niceph. l. 2. c. 3.

i Anton. summæ part. 4. tit. 15. c. 4. §. 2.

calum & terram, Gen. 1. c. In capite libri hujus, (dicere potest Maria) scriptum est de me figuratiter, & memoria mea in generatione seculorum. In principio namque temporis seu mundi, creavit, scilicet per figuram pronuntiavit, figurando creandum calum & terram, ita perfectior est pater quia principium activum, quam mater que est principium passivum: & ideo prius describitur calum factum, & postea terra. S. Annæ autem nobilitatem ne quis obscuram putet, introducamus Rudolphum Agricola[m] canentem: ^k *Conspicuos præstant alios benefacta parentum: tu contra natâ nobilitate nites.* Et justissimè, nam in Christi humanitatem, quicquid humanæ nobilitatis confluit, puta Patriarchalis, Regalis, Ducalis, Prophetalis, Sacerdotalisque id nequaquam aliter, nisi per Mariam virginem, Joachim & Annæ filiam, ex quâ carnem assumpsit, derivatum fuit. Sunt insuper nobilium uxores ejusdem dignitatis, honorisque, cujus sunt mariti. Porro altissima consideratio est, quod Anna avia Christi sit, non tam ut reliquæ mulieres nepotum suorum, sed multo magis: nepos enim suus non adeo suus dici potest, quia filius filix, sed quia alium non habuit parentem. Eam rem prosequuntur insigniter, Johannes Oforius ^l & Petrus Biverus ^m, quin & Damascenus ⁿ olim docuerat Annam ex prole nobilitatam: nam si maximum & eminentissimum, quod

^k Agric. versu. 141. ^l Ofor. in f. S. Annæ.

^m Biver. dissert. 1. pag. 121.

ⁿ Damasc. ubi supra.

quod de semine suo, Messiam desideratum nasciturum illi sponderit, nonne hæc promissio in S. Annâ eò fuit eminentior, quò fælici huic fortunæ fuit propinquior.

8. Plenior de stipite, tribu, natalique sede s. seq. & par. 2. q. 1. & seqq. fit discussio. De Zorobabele autem p. 29. ult. plenius.

CHRISTUS *quomodo Rex & Sacer-*
dos fuerit? §. 8.

DOCTOR Angelicus^a dicit quod David in Bethlehem natus, elegerit Jerusalem pro sede regni, ut esset civitas simul regalis & sacerdotalis: quæ Christo Domino applicanda veniunt. S. Damascenus^b auctor est, quod ex duodecim tribubus, Deus duas ceteris chariores habuit, honoreque antetulit Leviticam & Judaicam. Nazianzenus^c Christum ex lineâ Regum & Sacerdotum, orbi illuxisse concinit; pro quo literalis intellectu, verborumque directâ veritate, considerare juvabit, quod juxta præmissum paragraphum septimum, virgo Deipara prodierit, patre ex tribu Judâ, matre vero ex tribu Levi, unde meridiano jubare clarius elucescit, quomodo ex utrâque tribu Christi propago coaluerit.

2. Testamenta duodecim Patriarcharum in S. Vincentii speculo relata, (apud Margarinum tom. 8. primæ edit. atque tom. 4. secundæ & tertiæ edit. porrò in bibliotheca SS. Patrum edit. Colon.

^a Thom. pag. 3. summæ q. 35. a. 7. ^b Damasc. orat. 2. de nativ. B. Virg. ^c Nazian. in eam. genealogica.

Colon. tom. 3. pag. 173.) quorum meminerunt Origines, Procopius^e & Episcopus Equilinus^f etsi vim magnam non habeant, in hoc tamen placent, quod dum de adventu Salvatoris loquuntur, potissimè concordent, quod Christus Dominus de tribu Juda & Levi fuerat nasciturus, quas tribus præ cæteris extollunt, & ita Christo regnum attribuunt & sacerdotium. Abulens, super exod. tom. 1. pag. 4.

3. Romana Ecclesia mater & Princeps omnium Ecclesiarum infra Octavam Nativitatis B. V. ex S. Augustino^h recitat sequentia: *Cum autem evidenter dicat Apostolus Paulus, ex semine David secundum carnem Christum; ipsam quoque Mariam de stirpe David, consanguinitatem duxisse, dubitare utique non debemus, cujus foemina quoniam nec Sacerdotale genus tacetur, insinuante Lucâ, quod cognata ejus esset Elizabeth, quam dicit de filiabus Aaron: firmissimè tenendum est carnem Christi ex utroque genere propagatam, & Regum scilicet, & Sacerdotum, in quibus personis apud illum populum Hebraeorum, etiam mystica unctio figurabatur, id est Chrisma, unde Christi nomen elucet, tantò ante etiam ista evidentissima significatione præannunciatum.* Pulcherrimè consonat Bellarminusⁱ Cardinalis dicens: *Mirum profecto esse non debet, si Maria de tribu Juda, & familiâ David cognatam Elizabeth habere potuit, de tribu*
Levi,

e Procop. in comm. sup. cap. 38. Gen. f Equil. Catal. lib. 3. c. 96.
g. Breviar. Rom. die 13. Septemb. lect. 9. h Aug. lib. 2. de conf. Evang. c. 2. i Bellarm. con. 5. super Missus est.

Levi, ac de filiabus Aaron, atque exinde existeret Elizabeth, sicut B. Anna Joachimo nupsit, de filiis David, ex quo nata est Maria: quin non solum nihil prohibeat, sed etiam valde deceat, ut Messias Rex & Pontifex futurus, cum utrâque familiâ regiâ scilicet & Pontificiâ cognationem haberet.

4. Franciscus Suarez^k significat, Christum non duxisse originem ex stirpe Sacerdotum legalium, per lineam masculinam, seu paternam B. V. nam secundum aliquam lineam maternam virginis (inquit) ortus aliquo modo fuit ex Levitica Tribu. Res omnis clara est si Hippolyto Thebano credimus per Nicephorum^l adducto, qui asserit Mathanem Sacerdotem, Annæ genitorem fuisse, quod infra par. 2. q. 2. n. 6. plenius demonstrabitur. Quod si auctores hic allekti per nova lumina, falsitatis convincantur, demonstrando Annam ex tribu Juda exortam, discutienda veniet origo Elizabethæ Leviticæ. Hippolytus & Nicephorus asserunt, quod Soba Annæ soror, viro Levitico nupsit, antiquiores quoque, Ismeriæ, Annæ sorori, assignant Sacerdotem conjugem: sive itaque Soba, sive Ismeria Elizabetham enixa sit, videmus quod non ab alio agente, quam patre Levitico exorta sit de tribu Levi.

5. Restat adhuc alia altior via. S. Augustinus^m ait: *Elizabeth & Mariam cognatas in Evangelio*

D

legi-

^k Suarez in 3. D. Thom. 3. par. tom. 1. q. 22. a. 7.

^l Niceph. lib. 2. c. 3.

^m August. q. 47. super libro Iudicium.

legimus, cum fuerit Elizabeth de filiabus Aaron. Ex quo intelligitur de tribu Levi & filiabus Aaron aliquam nupsisse in tribu Juda, unde ita fieret inter ambas illa cognatio, ut Domini caro non solum de regia, sed etiam de sacerdotali stirpe propagaretur. S. Antoninusⁿ ista explicatius tradit verbis totidem: Concepta est autem B. Maria, & nata regali ex progenie: quia ex David & successoribus eius, regibus populi Dei. Et propterea Christus dictus est frequenter in Evangelio, filius David: quia ex eo mater eius descendit, quod & Judaei confessi sunt. Ex Sacerdotali quoque tribu descendit, quia illa dua tribus, scilicet regalis & sacerdotalis poterant contrahere conjugia: unde Aaron primus sacerdos & summus Pontifex à Deo institutus, uxorem duxit de tribu Juda, & Josada summus sacerdos similiter uxorem habuit de tribu Juda, & stirpe regia, & contra aliqui de tribu Juda duxerunt uxores de tribu Juda duxerunt uxores de tribu sacerdotali. Sic B. Maria ex sacerdotali etiam tribu descendit, unde & Elizabeth de tribu sacerdotali orta erat, cognata virginis. idem habet Beda in c. 1. Matthæi tom. 5. edit. 1612. Colon. pag. 226. Titus Bostrensis in c. 1. Lucæ.

6. De commento apud Suidam, quasi Christus fuisset de numero sacerdotum legalium, agitur parte 2. q. 7. n. 6. infra.

ⁿ Anton. 43. summae tit. 14. c. 3. §. 3.

*Cause cur Evangelista de IOACHIM
& ANNA omnino sileant.*

§. 9.

JOSEPH supremus in scalâ genitorum reperi-
tur, cui innixus est Dominus, ut pulchrè dedu-
cit Florentius ab Hansvick cornucopiæ fol. 1.
enarr. 2. sect. 27. Evangelista quoquè magnum
& verum nomen beato Joseph attribuit, quia si
vir Mariæ, est & pater Domini ait ^aRupertus Ab-
bas. Similiter Jacobus Perez de Valentia Chri-
stopolitanus Episcopus super Magnificat, Car-
thag. de arcanis Maria & Joseph lib. 18. homil. ul-
timâ §. 6. n. 3. & lib. 4. homil. 11. Abulens. in Matth.
tom. 1. pag. 165. & Didacus Vega in festo S. Joseph
insigniter deducunt, quomodo Joseph fuerit pa-
ter Christi. Jam nunc hypothese tali præambulâ,
ad quæstionem cur B. Virginis genealogia non
sit deducta? SS. Parentes primam assignant cau-
sam, quod non sit consuetudinis Scripturarum,
faminarum genealogias texere. Ita tradunt Eu-
cherius Lugdun. Episcopus tom. 2. p. 268. edit.
1531. Basileensis. Theophylactus in c. 1. Matth.
col. 61. Anselm. in c. 1. Matth. Euseb. Emiff. hom.
nativ. B. Virg. S. Hieronymus lib. 1. coment. in
Matth. Damascen. lib. 4. de fide c. 15. & Eutymius
in c. 1. Matth. Alphonsus Tostatus Episcopus
Abulensis c. 1. in Matth. q. 28. Præter quam cau-
sam aliæ plures suberant reconditæ teste S. Chry-
sostomo homil. 2. in c. 1. Matthæi.

D 2

2, Alte

^a Rupert. in c. 1. & 2. Matth.

2. Alteram causam S. Fulbertus^b assignat verbis totidem: Sanè si qui sollicitâ mente, ac studiosâ investigatione perquirant, cur sanctorum precedentium memoria, huius prefata virginis, temporanea initia, suis fidelibus sequacibus enucleatim non exornaverunt, ut ad omnium notitiam vulgarent; noverint, non ignaros eos extitisse hæreseos, quæ pro insigni & admirando huius sacra puella præconio exortura erat, & ob id, si quid ex eius ortu occasionem dare ad hoc posset, sagaci industriâ celandum æmulis & infidelibus decreverunt, ne inveniret caeca garrulitas perfidorum, unde maternum sinum Ecclesiæ verberaret suâ multiplici fallaciâ.

3. Tertiam Cornelius Mussus Episcopus Bitontinus depromit dicens: ^c Vides Spiritum sanctum in sacris litteris nusquam de Mariâ loqui, quomodo de cæteris loquitur mulieribus: nusquam mentionem facit patris eius Joachim, aut Matris Anne: non dicit quâ etate fuit, cum desponsaretur Josepho, non quâ diu vixit, non quando diem suum obiit. Loquitur de illâ non secus, quam de Melchisedech & magno illo Eliâ. Videmus enim, quam parum se ad res extendat humanas, cum de illis sermo est; adeo ut D. Paulus Hebr. 7 non vereatur Melchisedechum appellare virum sine patre, sine matre, sine genealogiâ: non quod non habuit, sed quod eorum nulla fit in Scripturis mentio. Agite dum, scitis cur Scriptura tanto utitur silentio, tamque rectè de rebus Maria loquitur, ut cogitatio tua

segre-

^b Fulb. ser. 3. de nat. B. V. ^c Mussus in Festo S. Mariæ ad Nives.

segreget illam à numero aliarum mulierum, & de illa non aliter loquaris, quàm ipsum loquitur Evangelium, hoc est, tanquam de muliere divinâ potius & celesti, quam terrenâ, atque in omnibus Christi individua socii.

4. Rationem quartam dat P. Alphonsus Salmeron^d inquit; Quod fuerint taciti parentes, ad maiorem eiusdem virginis honorem & decus spectat, si quis rectus sit sacrarum literarum censor & interpres. Verum quisnam est honor iste? Audi: Qui asserunt virginem Mariam sub originali peccato conceptam, eo maximè nituntur argumento, quod ex viri semine, ut ceteri omnes processit: qui vero sentiunt ab illo delicto preservatam, illud maxime argumentum urgent, quod fuerit mater Salvatoris Christi, ut eminentiori genere sanctificationis (scilicet preservatione à peccato) gaudere promeretur. Ut ergo Spiritus sanctus indicaret illam alienam ab hoc crimine eius parentes subtrahit. Salmeron eadem deducit fusius. Plura qui volet consulat Joannem Gersonem in ferm. de nativ. B. Virg. in facie Constantiensis Concilii declamatô, Guilhelmum Pepinum in festo S. Annæ, Michaelem de Hungaria ferm. 2. de S. Anna & Biverum de Deipara pag. 52. & dissert. 1. pag. 127. & 148. dissert. 3. pag. 579. & 581.

5. Confirmat eadem Lansberg. ^c dicens: Mirum fortasse videbitur, nihil in canonicis Scri-

D 3

pturis

^d Salm. tom. 3. tract. 28. edit. 1602. Colon. pag. 217.

^c Lansberg. ferm. 4. de S. Anna edit. 1545. Colon. fol. 222.

pturis inveniri de S. Annâ, Dei matris genitrice :
 verum id mirandum non est. Nam si de Christi
 aut Mariae gestis plenè investigare cupiamus
 omnia, ad multa deest nobis sacra Scriptura testi-
 monium, (quod latè & insigniter per exempla
 commonstrat, & immediate subjungit) Quid igi-
 tur mirum si de S. Annâ, præterquam in apocry-
 phis, nihil scriptum sit? satis præterea eandem lau-
 datam ex his, quæ in Scripturâ Christum & eius ma-
 trem figurasse leguntur, intelligimus. (Et post enu-
 meratas illustres figuras idem auctor concludit)
 Hæc aliaque multa sunt, quæ satis indicant Scriptu-
 ram sacram non omnino tacuisse Annam, tametsi
 ex nomine eam non vocaverit. Credendum potius
 divinâ id dispensatione actum, ut de tam excellen-
 tibus Sanctis parum in Canonicis Scripturis inve-
 niretur, quo credentium fides fieret major, quo non
 historia certitudo, sed devotio ad amorem cultum-
 que Sanctorum nos induceret. Unde & Joannes
 Lopez^f Episcopus Monopolitanus ait: Certè
 dilectissimus Apostolus & Evangelista Joannes
 in Laudibus recensendis, mutus non extitisset,
 nisi Deus illa patefacere prohibuisset. Ita SS. Pa-
 tres, ita classici auctores senserunt, scripserunt,
 docuerunt. Faceat ergo Philo Annianus, qui
 ex Heli apud Lucam transformare attentavit
 Joachimum Patrem Deiparæ. Rectè Joannes
 Driedo^g scripsit: *Non oportet sacra Theologia
 studio*

^f Lopez tom. 3. in festo Assumpt. n. 2.

^g Driedo de dogm. lib. 3. tract. 2. c. 1.

studiosum, ubique curiosè immorari, ad invenien-
dum sententias novas in vocibus seu orationibus
multiplicibus. Et in prologo idem Driedo, pro
pace in rebus fidei, primo loco requirit, ut de
dogmatibus controversis inquiratur, quid anti-
quitus tradiderint veteres patres, qui jam inde à
temporibus Apostolorum continuâ successionis
serie scripserunt.

6. Porro cum S. Matthæus in suâ genealogiâ
Hebraicè scriptâ, varias mulieres generantes in-
seruerit, terminans in Josepho viro Mariæ, quod
Hebræis constabat: S. Lucas autem Græcè scri-
bens in extremitate constituat Helin, per quem
si intellexerit Joachimum patrem Mariæ, quod
Græci ignorabant, quæritur cur non id ipsum
Matthæus signanter expresserit, cum idem Spiri-
tus sanctus, qui scribenti Matthæo adfuit, dire-
xerit quoque calamum Lucæ? Doctissimus Pater
Salmeron^h hujusmodi mentionem in Lucâ de-
siderat. Denique quod etiam usquequaque in-
suetum non fuerit Hebræis, in genealogiis re-
censendis fœminas memorare, Judith liber in-
dicat, ubi nobilissimæ fœminæ proavi, tritavi at-
que abavi, generisque universitas explicatur, uti
Joannes Bonifacius lib. 1. historiæ virginalis
notavit. Sed quorsum texeretur genealogia Joa-
chim, siquidem non minus per Virum quam per
patrem constabat progenies Mariæ? Abulen-
sisibi supra. Maldonatus in c. 1. Matth. edit. 1602.
Lugdun. col. 21.

^h Salm. tom. 3. tract. 28. pag. 208.

Conjugium sanctum virtutibus fragrantissimum. §. 10.

Joachim, ait ^a Damascenus, *lectissimam illam Jac summis laudibus dignam mulierem Annam sibi matrimonio copulavit.* Et post miras conjugum præconia alibi sæpius exclamat: *O beatum par Joachim & Anna.* Nuptias autem Joachim in Galilæa celebravit, Nazarethi, vel ut alii volunt in suo castro sephoro. Quod uterque conjugum, non tam genere quam virtute nobilis fuerit, viri sancti, vetustique Scriptores ^b cum recentioribus, doctè cumulateque consignarunt, quos proferemus ubi res postulat. Quod Christus Joachimum avum atque Annam aviam præ cæteris illius ævi hominibus sanctificavit, Cornelius à Lapide in præmio Epistolæ S. Joannis enunciat.

2. Ad rem nostram S. Antoninus ^c figuram supra introductam prosequendo differit: Cælum autem dicitur Joachim, quia cælestem, id est, virtuosam habuit conversationem. Sicut enim cælum est luminosum, ita & ipse fuit illuminatus, lumine gratiæ & doctrinæ legis divinæ: & sicut cælum est purum & liberum ab omni corruptione: ita Joachim castus & mundus fidem servans uxori. Unde Damascenus: ^d *O castissimum ratione præditarum par turturum Joachim & Anna.*

Cælum

^a Damascen. lib. Orthod. fid. c. 15. ^b Luc. Pinel. in historiali medit. 1601. Colon. edita. ^c Anton. sum. p. 2. tit. 15. cap. 4. §. 2. ^d Damascen. Orat. 1. de nat.

Cælum quoque dat pluviam abundanter in tempore suo, & Joachim dabat abundanter Eleemosinas, erogando unam partem pauperibus, alteram templo, ejusque ministris, tertia autem se, suamque familiam alebat.

3. Terra autem convenienter significat Annam. Nam sicut terra est infimum elementorum, & subjicitur influentiæ cæli: ita Anna humilis erat, & subjecta in gubernatione domus viro suo. Terra stabilis est, ita Anna constans & fortis in sterilitate suâ, non turbulenta contra Deum, quod filios ei non daret. Siquidem in maritali Charitate, pace, gaudio & justitiâ, annum vigesimum agebant, rebusque omnibus satis prosperè ad votum fluentibus utebantur; unus tamen sterilitatis dolor angebat plurimum, quod nullâ prole conceptâ consenesceret. *Terra erat inanis & vacua*, Gen. 1. Anna erat sterilis & infæcunda, ut majus inde appareret miraculum, majorque ex fæcunditate postea collatâ, magnificentia consurgeret. *Tenebræ erant supra faciem abyssi*, quia judicia Dei abyssus multa. Tenebræ etiam errorum erant in Judæis legem Dei dissipantibus, Tenebræ etiam afflictionis & confusionis obruerant Annam; dicente S. Ambrosio: *Pudor est feminis nuptiarum præmia non habere*, propter quod primò institutum est matrimonium; sed & matronis & matribus à lege tributæ erant honores, qui Annæ communes non erant, ut ait Nyssenus de Nat. Domini.

¶ Ambros. 32. q. 2. c. Pudor.

D 5

4. Ad

4. Ad sanctissimæ Annæ præconium Joannes Petrus Camufius † Episcopus Bellicensis ita declamat: *In hoc magnum, utriusque testamenti harmonie arcanum consistit, quod ex illarum quæ Aviam Christi præcesserunt. Anna, virtutibus, huius elici queat gratia, uti videmus sibi invicem opposita specula, objecti imaginem in uno expressam, in aliud oppositum remittore. Prima itaque ANNA est mater Samuelis, quæ in effectis sue sterilitatis annis, eximium hunc Prophetam, ex singulari Dei misericordiâ progenuit, eumque jam inde ab ortu, divino cultui consecravit. I. Reg. I. Sic ANNA nostra Joachimi Coniux, cum jam florentissimos ætatis annos in sterilitate traduxissent, tandem præter omnem spei apparentiam beatam illam profert arborem, quæ fructum vite progenuit, quæ mox ut nata est planta, eam ipsa in Domini transtulit viridarium atque hortum, templo illam devovens. Altera ANNA fuit Tobie mater, quæ absentem filium quem amissum credebat, lacrimis ac gemitibus plorabat inenarrabilibus. Tob. I. quis vero dubitet, quin si ANNA nostra ad passionis nepotis sui tempus usque vixisset, lacrimas etiam inenarrabiles fudisset? Tertia ANNA fuit vidua Phanielis, de numero illarum, quæ ad ostium tabernaculi excubabant, sancta illa jejunatrix, quæ Redemptoris Christi quodammodo fieri Matrinx meruit, eum in Presentatione in templo comitata. Lucæ 2. Omnes hæ ANNÆ sunt totidem velut*

prima

† Camuf. hom. de S. Anna.

prima delineationes virtutis, quibus sancta nostra
matrona, vivos perfectionis colores addidit. Ita
Camufius. Sarumensis, in Angliâ, Ecclesiæ Bre-
viarium, anno 1495. Venetianis typis exaratum,
ad vesperas concinit: *Ave mater ANNA,*
plena melle Canna, cui marem passa, nulla coa-
quanda. Ave predicanda, superexaltanda, mater
matris poli, Regis atque Soti.

5. Fuit sanè Anna opus admirandum, & divi-
næ providentiæ singulare prorsus exemplum.
O si illam oculis, cum viveret, intueri licuisset!
Conjunxerat in se, quæ conjungi in aliis non
possunt, dignitatem cum abiectione, excellen-
tiam cum humilitate, præstantiam cum simpli-
citate, summam gloriam cum summâ modestiâ,
ejus vitam ita omnes admirabantur, ut cum imi-
tari vellent, assequi non possent. Videbant in eâ
hinc frugalitatis violas, inde verecundiæ rofas,
cernebant hinc pacis olivam, illinc affectuum
superatorum Laurum: intuebantur hinc con-
stantiæ palmam, illinc virentium desideriorum
hederam: Hæc est illa inquiebant omnes, quæ
non sumptuosam magnificentiam, sed humilem
frugalitatem amat: Hæc est illa, quæ non fastuo-
sam superbiam, sed verecundam modestiam præ-
se fert: Hæc est illa, quæ non contentiosam vi-
tam, sed amantissimam pacem, & pacificam cum
omnibus amicitiam desiderat: Hæc est illa, quæ
affectuum suorum impetum non sequitur, sed
reprimit, non levitate effertur, sed constantiam
se ipsam

se ipsam sistit: non in hæc terrena, sed in illa cælestia & æterna bona confurgit. Talis cum esset, sui apud omnes desiderium relinquebas.

6. Conjugii hujus sanctissimi confirmationem haurire possumus ex sermone angelico ad S. Brigittam ^g habito, quod Deus inter universa justa & honesta conjugia, à primâ creatione hominis usque ad diem novissimum, nullum præviderit, simile conjugio Joachim & Annæ. Et quidem ^h Petrus Canisius asserit non parvi ponderis habendas esse Brigittæ revelationes de casto conjugio parentum Mariæ. S. Hieron. & Fulbertus scribunt: *Vita eorum erat simplex & recta, apud Dominum, & apud homines irreprehensibilis.* quibuscum pulchrè consentit S. Gregor. Nyssen. ⁱ *Erat insignis, ait, in accuratâ vitâ, quæ est ex lege, institutione, & inter optimos, apprimè notus pater virginis.* Hic duo ponderanda occurrunt: alterum, quod sancti conjuges accuratiorè, juxta præscriptum legis, vitâ, non tantum erant clari, sed & primis quibusque, nobilibusque genere connumerati, cujus ex diametro contraria, linguæ sectariorum impudenter evomuerunt. Alterum autem reverà magnum, quod coram Deo sine peccato fuerint irreprehensibiles, siquidem ut S. Augustinus ^k ait: Paucissimi sunt inter sanctos tantæ felicitatis, ut nunquam damnabilia peccata commissa sint ab eis. Joachimum

^g Brigit. revelat. lib. 1. cap. 9. & serm. Angel. c. 7. ^h Canis. Mar. l. 1. c. 3. pag. 55. ⁱ Nyssen. hom. de humana Christi generatione. Aug. lib. 21. de civit. Dei c. 16.

chimum eulogio nobilis Baronis ornat ¹ Vincentius. Conformiter antiquis historiis Sarumensis Ecclesie Breviarium ^m recitat: *Joachim ex opprobrio in templo tristis exiit, nec ad domum vel uxorem sed ad Pastores transit.* S. Damascenus ⁿ ad verba talis historie collimans ait; quod Joachim cogitationes suas paverit. Insuper auctores non contemnendi, ex factō ejusdem historie, admirantur viri tam illustris summam modestiam & patientiam, exinde demonstrando actus heroicis summæ perfectionis, quod vincendo se, victus non fuerit, nec tentationi immisissæ succubuerit, quin & concludunt ipsum Joachim idcirco vel maximè à Deo pro votis exauditum prout partis 2. q. 17. n. 5. infra probabitur.

7. Circa qualitatem staturæ & formæ S. Annæ, si quispiam cunctetur, eandem ex personâ filie metiri licebit: siquidem ut Philosophus ^o tradit, *foemina magnâ ex parte matri similes proveniunt.* Ita Biverus ^p Mariam vocat imaginem & similitudinem parentum. Fuit certè beatissima Virgo pulcherrimum sydus, in sacra Scriptura variis illustratum nominibus, præclaris figuris comparatum magnificè, nunquam tamen satis laudatum; unde non immeritò conjicitur, Mariæ matrem S. Annam mulierem fuisse speciosissimam, quæ filiam pulcherrimam, atque se formosiore gigneret.

8. P A

¹ Vincent. in festo S. Annæ. ^m Sarum. antiphonâ 3. ad Matutin. ⁿ Damascen. orat. 1. de Dormit. Mar. ^o Aristot. in 7. de hist. animalium. ^p Biverus pag. 93.

8. PANEGIRICON matronæ omnium sanctissimæ huic loco congruum decantavit Jacobus Montanus Spirensis q metro hujusmodi

*Virginis summa genitrix a veto
ANNA, sublimi generosa stirpe,
Quam Sacerdotum pariterque Regum
Stemmata comunt.*

*Ante te nusquam fuit ulla mater,
Quæ pari tecum pede sanctitatis
currit, aut cujus decus it per orbem
ut tua virtus.*

*In gradu post te residet minore
Illa, quam primæ fabricator arcis
Duxit uxorem, nuribusque ternis
Altior extas,*

*Te parens leti sterilis puelli,
Quem pater calo voluit litare,
Suspicit, cernitque tuum nitorem
supplice vultu.*

*Te nitens mirâ specie Rebecca,
Et valens veri pietate cultus,
Præfici magno sibi puritatis
Gaudet honore.*

*Te sacræ uxores Iacob fidelis,
Sede prælatam sibi celsiore,*

Can-

q Montan. in lib. Odarum spirit. anno 1513. Argentinz edit.

*Candidè spectant tua super aucta
Dona canentes.*

*Te supra latis animis tuentur
Ruth, & ingenti socrus agraluctu
Sera Sampsonis genitrix idem alto
Pectore sentit.*

*Te pii mater Samuelis Anna,
Et casto pollens animo Abigail
Sub tuis pulchrè pedibus locata
semper honorant.*

*Tu Prophetissas veteris, novæque
Legis, excellis, radios ut omnes,
Syderumve, Phæbi superat fugaci
Ignea Lampas.*

*Ergo tot donis opulenta mater,
Sola matronas quibus ecce cunctas
vincis, in nostram tua flecte semper
Lumina cæcum.*

9. De Conjugum Joachim & Annæ sancti-
tate, privilegiis, aliisque insignibus attributis,
ulterius consulantur Themelwar, Michael de
Hungaria, Lansbergius, Eckius in festo nativ.
B. Virg. Dorlandus lib. 1. c. 13. Vcron triumpho
lib. 1. c. 13. Biverus dissert. 3. pag. 576. 580. 582. &
599. & Exogeticon de S. Anna c. 3.

Steri-

*Sterilitatis depellenda media & Ioachimi
in templo rejectio. S. II.*

Judocus Beiselius Patricius Aquensis oratione
ligatâ piissimum de S. Annâ rosarium pepe-
git; unde prologum hujus thematis statuimus
sequentem:

*Anna diu steriles flevisisti in conjugè amores,
Vnica nuptarum gloria & unus honor.*

*Anna piam sobolem, nec vanos queris in usus,
Sed colat, ut sanctâ posteritate, Deum.*

Archiepiscopus ^aFlorentinus inhærens figuræ
superius introductæ ad scopum propositum ita
discurrit: *Multis modis ad fructificandum terra
atteritur, ita Anna jejuniis, vigiliis, & aliis modis
castigabat corpus suum, ut subditum esset rationi.
Joachim etiam in montibus Galilæa Deo suppli-
cans, quadragesimale servabat jejunium. Anna
quoque exemplo matris Samuelis Deum precaba-
tur, ne à benedictionibus legis excluderetur, sed ut
ei mater esse liceret orans, ac vovens, quod paritura
esset ipsum. se Deo dicaturam. Voto huiusmodi con-
jugum firmato, eius rei gratiâ templum Domini
singulis per annum festis frequentabant. Factum
est ergo ut Encaniorum festivitas appropinquaret,
unde cum nonnullis contribulibus suis, Joachim
Hierosolymam ascendit. Eâ vero tempestate Isa-
schar sacerdotio fungebatur, cumque inter ceteros*

601-

^a Antonin. sum. p. 4. tit. 15. c. 4.

conciues suos etiam Joachimum cum oblatione sua videret, despexit eum & munera eius spreuit, interrogans cur inter fecundos ipse infecundus staret? inferens, munera eius nequaquam Deo digna posse videri, quem ipse prole indignum iudicasset: cuius opprobrii objectu, pudore magno suffusus Joachim, ad pastores, qui cum pecudibus suis in pascuis erant secessit: neque enim domum repetere voluit, ne ab eis qui simul aderant, eodem elogii opprobrio notaretur.

2. Historiam repulsi in templo Joachimi parte 2. q. 10. & seqq. confirmabimus plenius. Sterilitas autem modo fructuosius expendetur. *Fama* vero, inquit Abrahamus Bzovius, ^b si propinquum genus Maria spectas, virga est de radice fesse seu trunco sterili pullulans: Nam virgo, ait Nicephorus, ^c ex membris senilibus, & longè à natura fervore alienis, velut ex radice arida, tanquam quidam divinitus datus fructus, producta est, ob idque sterilitatis miraculosus fatus à Patribus adoratur. Nobile illud par turturum, ratione præditarum Joachim & Anna, ubi multos annos castè & sanctè in matrimonio transegerunt ac vitam accuratiorè præstantes, primis quibusque & splendidissimis, nobilissimisque genere, merito comparandi fuissent, sed cum ob infecunditatem, à Pontificibus & Sacerdotibus despectui habiti essent, se totos orationè dederunt; certò siquidem sibi pollicebantur, ut sic præses sterilitatem Rebecca, preces sterilitatem

E

Anna

^b Bzovius panegyri. 3. in nat. B. Virg. ^c Niceph. lib. 1. c. 7.

*Anna illius, qua Samuelem peperit, ita & eorum infecunditatem depellere possent. Orationi jejuni-
 um & Eleemosinas comites junxerant, quò faci-
 lius Altissimi spiritum defatigarent, ubi quadrage-
 nariâ continentia & contemplatione, Numen sibi
 propitium fecissent, Angelum cælitus missum suspi-
 ciunt, Joachim in deserto, Anna in penetrabilibus
 domus felicissimum nuncium audiunt: Nascetur
 vobis Filia, orbis lumen, calorum gloria, inferorum
 terror. Egredietur virga de radice Jesse & vobis
 jam senio effatis ut non libidinis esse quod nascitur,
 sed divini muneris, cognoscatur, ut ad id quod so-
 lum sub sole novum erit, ac miraculorum omnium
 caput, id est, ad incarnationem filii eius, via per mi-
 racula sternatur, & paulatim ab humilioribus ad
 sublimiora progressus fiat. Orietur ille ut illa ex
 sterili matre, ille ex voto sterilescente, hæc ex vobis
 ætate infecundis: ille sine virili semine ex solius ma-
 tris sanguinibus, hæc quidem à maritali complexu,
 vorum à meis præter naturam operationibus steri-
 litati vestra medicantibus. Raritatem tantam Lu-
 bicense Breviarium^d anno 1513. Noribergæ cu-
 sum, ita deprædicat: Anna sancta, peperit natam
 sanctiorem, sed nata de se, genuit omnibus majorem.
 Utrobique raritas, nam prima infecunda, sed vir-
 ginalis castitas parit in secunda.*

3. S. Germanus^e Archiepiscopus Constanti-
 nopolitanus, Anna, inquit, sterilis & infecunda
 manus alacriter & festivè complaudat. Scribit
 etiam

^d Lubie. x. s. in festo Concept. ^e Germ. in festo nat. B. Virg.

etiam Nicephorus ^f ubi supra: Quod fuerit Maria ex membris senilibus & longe à naturæ fervore alienis, tanquam quidam divinitus datus fructus, producta. Consequenter Biverus ^g, pergens, huiusmodi fructum vocat naturæ miraculum dicens: Cum Ioachim & Anna essent steriles, nec possent servato ordine rerum producere prolem, præter communem seriem hunc fatum generarunt. Mirabilis hæc proles est, cum præter naturæ ordinem sit producta, imò præter gratiæ morem & consuetudinem, ut non solum naturæ miraculum sit, sed etiam gratiæ prodigium. Unde & idem ^h auctor huiusmodi sterilitatem proclamat gloriosam. S. Damascenus ⁱ miraculorum miracula, & miraculorum officinam vocat, partum magnificat, vocatque Rubum Moysis, domum Salomonis, templum Dei, Lignum vitæ, Olivam fructiferam, Castrorum aciem, Librum novum, Vellus Gedeonis, Arcam Dei, Tabernaculum Abrahamæ, Portam Orientalem, Scalam Jacob, Thronum Cherubinis sublimiorem, imò Cælum ipso cælo divinius. Quod S. Anna usquè ad senectam sterilis manserit tangunt varii: Jacobus de Clusa serm. 1. de Concept. Henricus Episcopus Bitontinus in festo Assumpt. Henriquez lib. 3. c. 11. §. 4. Vasquez in 3. part. S. Thomæ tom. 2. disp. 122. n. 22. Gerson p. 3. serm. de nativ. B. Virginis: Christophorus à Castro hist. Deiparæ c. 2. Floren-

E 2

ren-

^f Nicephorus ubi supra. ^g Biver. dissert. 1. pag. 118.

^h Biverus dissert. 3. pag. 381. & 396.

ⁱ Damasc. Orat. 1. de Nat. V. M.

rentius ab Hansvick Capucinus Cornucopiae
tom. 1. enarr. 4. sect. 34.

4. Appositè scopo nostro inserviunt à Bivero^k tradita: *Habet suas horas Deus, in quibus conferat favores, si anticipata obsequia eam habent virtutem, ut in ipsorum gratiam Deus anticipet horam favorum.* De ordine conceptæ Virginis, loquetur §. 14. de occurso mutuo ad portam auream tractans: locum intimabit part. 2. quæst. 22.

^k Biver. differt. 3. n. 50.

*Quanto tempore Ioachim ab Anna
abfuerit? §. 12.*

DE quinque mensium absentia superius descriptâ testimonium tulerunt Breviarium Rom. anno 1520. Paris. editum Lect. 6. in festo S. Joachim, & aliud Rom. anno 1533. Paris. proculsum lect. 7. in festo S. Annæ. Breviarium Moguntinum anno 1509. editum lect. 4. Leodiense anno 1522. Parisiis invulgatum lect. 5. de S. Anna. Hermannus Nitzsche witz pag. 3. textus psalterii B. Virginis: Joannes Baptista Mantuanus principio lib. 2. parthenices, Trithemius de miraculis B. Annæ c. 3. Amandus Xirixiensis Legendæ c. 3. Joannes Royardus hom. 1. in nat. B. Virg. Passionale Saxonicum in festo S. Annæ: Petrus Dorlandus lib. 1. c. 6. vitæ S. Annæ. Rudolphus Agricola versu 95. Anonymus Batavus: Judocus Badius Ascensus Compendii vitæ S. Annæ c. 4. Historia vitæ Salvatoris Gallica anno 1585. Lugduni

gduni per Joannem Philemotte procusa: Jacobus Feuchtius ferm. 1. de concept. & Hesselbach ferm. 10. de concept. Fontem & originem hujus traditionis, opinamur historiam primævam quæ periit, historiam duodecim tribuum, quam hactenus videre non licuit & epistolam Cyrilli, de quibus parte 2. q. 11. n. 3. plenius.

2. Joachimus Perionius natione Gallus, patriâ Cormæriacenus, ante centum annos Monasterii S. Pauli apud Cormæriacum, Ordinis S. Benedicti, Congregationis Cluniacensis monachus, cujus, teste Wion^a, in remliterariam beneficia, adeò magna sunt, ut omnem humanam mentem excedant. Is^b principio vitæ B. Virg. de ejusdem parentibus hæc scribit: *Illi angeli præcepto parent, iter aggrediuntur, ad portam auream perveniunt, mutuo amplexu & aspectu se recreant, unâ revertuntur, quæ ab angelo didicerant, cum summâ voluptate vicissim exponunt: Anna nec ita multo post (neque enim plures duodecim inter absentiam & conceptum interfuerunt dies) concepit Mariam, exactisque novem mensibus peperit.* Hæc ibi:

3. Circa quantitatem temporis, quo S. Joachim in templo rejectus, mox à suâ conjugè Annâ sequestratus & elongatus extitit, duas dispares traditiones ex præmissis hausimus. Nullû certum tempus determinavit Hieronymus de ortu virginis. Prior opinio de quinque mensibus in an-

E 3

tiqui-

^a VVion ligni vitæ l. 5. c. 100. ^b Perin. c. 4. vitæ B. Virg.

tiquitate & pluralitate auctorum fundata, etiam per rationes probabilis demonstratur infra p. 2. q. 13. & seqq. Nec tamen profus rejicienda videtur posterior, in qua doctissimus vir Perionius, qui à festo Encaniorum (25. Novembris) usque ad festum Conceptæ Virg. dies numerat duodecim, Prudens Lector æquâ lance ponderet singula atque quod sibi videbitur magis consentaneum eligat: siquidem non pio voluntatis selectu, aut complacentiâ propriâ, opiniones amplectimur aut fastidimus, cum in omni seriâ doctrinâ, veritas (quæ omnis à Deo est) ducatum præbere debeat.

Angeli apparitio & promissio SS. Conjugibus facta. S. 13.

Historiam ulterius S. Antoninus hoc complexu verborum prosequitur: *Verum cum (Joachim) ibi aliquamdiu esset precibus & jejunis intentus, quâdam die (non apud caulas sed) cum esset solus, Angelus Domini cum immenso lumine asstitit & cum ad visionem turbaretur, Angelus timorem eius compescuit dicens: Noli timere Joachim, neque in visione mei turberis; Sum enim angelus Domini missus ab ipso ad te, ut annunciem tibi preces tuas esse exauditas & eleemosinas tuas advenisse in conspectum eius: videns quippe vidit pudorem tuum, & audivit sterilitatis opprobrium non rectè tibi objectum: peccati namque, non nature, ultor est Deus, & c. generabis filiam & nomen eius.*

eius vocabis Mariam, hac erit ab infantia, ut vovistis, Domino consecrata & Spiritu sancto replebitur ex utero matris sua. Omne immundum neque manducabit, neque bibet, neque inter populares foris turbas sed in templo conversatio eius erit, ne quid de eâ sinistrum vel suspicari vel dici possit. Porro etate procedente sicut ipsa mirabiliter ex sterili nascetur, ita incomparabiliter virgo generabit Altissimi filium; certumque dedit signum mutui occurfus Joachim & Annæ ad auream civitatis Jerusalem orientalem portam. His profusus similia & Hegesippus scribit, uti Cuperus memorat vitæ S. Annæ c. 3. pag. 44. consonant Hieronymus, Germanus, Fulbertus, Honorius Augustodunensis & plurimi.

2. Deinde Angelus Annæ apparuit, quæ solatio viri destituta, cum lachrimis Dominum exorabat pro reversione viri & remotione huiusmodi opprobrii. Et tunc spiritus Domini ferebatur super huiusmodi aquas lachrimarum ad exaudiendum votum eius & consolandum: Angelus namque Annæ eadem nunciavit, quæ & Joachimo. Dixit verò Deus: fiat Lux: dicere Dei est facere, gratia enim accedente, Anna statim remoto obstaculo fuit potens concipere. De apparitione angelica plenius *infrap. 2. q. 19.*

3. *Credendum est, ait Lansbergius, beatissimam Annam per revelationem accepisse angelicam, ut non solum Dei genericam foret paritura, sed etiam filie filium, Messiam verum, Christumque*

Domini oculis esset corporeis visura. Si enim Si-
 moni Seni à Spiritu sancto responsum est (quo in-
 telligitur multis ipsum id precibus flagitasse) non
 visurum se mortem, nisi ante videret Christum Do-
 mini, quid de beatissima putabimus Anna? erat
 namque calitus instructa, quod Matrem esset pari-
 tura Domini. Putatisne igitur quod non simul
 quoque ei fuerit promissum, ut non videret mor-
 tem, nisi ante videret Messiam futurum, nisi vide-
 ret mundi Salvatorem suum nepotem, sua filia
 filium, suam carnem ex carne suâ, hoc est, ex filiâ
 suâ? hinc cogitare quantis cruciabatur quotidie
 desideriis, ut tempus illud adveniret, quo oculorum
 suorum desiderabile lumen, exuberantissimasque
 cordis sui delicias videret? quoties credenda est
 beatissima Anna in suis exclamasse orationibus:
 O si videre merear ex filiâ meâ filium, mundi Salu-
 tare, & decus gentis nostræ! O me felicem, si de ute-
 ro filia mee salus nata fuerit omnium! O si me hac
 gratiâ dignetur Deus, ut sui filii ego efficiar avia!
 quam beatam me dicent omnes gentes, si ex me per
 filiam natus fuerit Deus homo! Utinam hunc vi-
 vam diem, quo in huius nepotis mei ruam oscula!
 Utinam aliquando mihi liceat illum cordi meo in-
 fantem astringere! O quando erit ut videam in
 carne meâ quem adoro Deum! putasne videbo hunc
 oculis meis? O quam leta moriar, ubi hunc videro
 natum! O quam mihi spes reposita est in hoc ne-
 pote meo venturo! O felicem diem quo nata sum,
 ut tantam promissionem expectem. Utinam tam
 die

diu maneam superstes, ut videam his oculis meis te fili dulcissime. Itaque huiusmodi votis & desideriis dum Anna sanctissima continuis urgeretur, postquam ex filiâ, quam desponsatam, & paulo post procul dubio impregnatam agnovit, hunc natum didicit, tamen si fortasse non plenè conceptus, partusque mysteria sciret, quibus putamus desideriis urgebatur cito videndi filie infantem? quomodo enim pro suâ filiâ pariturâ, minori sollicitudine urgeretur S. Anna, quam relique omnium feminarum pro suis filiabus matres? idque potissimum, quod Maria sanctissima, omnino adhuc tenerrima tunc erat juvencula, & que ante nunquam pepererat, quamque eius piissima mater Anna (ut reor) sine dolore parituram nesciebat. Et ubi, inquis, beatissima Anna mater filiam post partum visitavit? Siquidem Maria in Bethlehem usque ad tempus sue purificationis mansit, hinc cum puero à Joseph virgineo, atque per omnia sanctissimo sponso suo, in Egyptum delata, septennio ibi mansit. Nunquid tanto potuit Anna expectare tempore, ut huius pueri nepotis sui differretur ruere in amplexus, dum ex Egypto Joseph mansuetissimus atque totus piissimus, cum credito sibi thesauro rediret? non puto, magis credenda est in Bethlehem, quamprimùm filiam suam peperisse audiebat, advolasse.

4. Antequam ad alia commemoranda gradum faciamus sciendum quod Angeli verba: *Nomen eius vocabis Maria*, referant & confirmant Hieronymus de ortu Mariæ, Antoninus

supra recitatus. Bertrandus Cardinalis serm. 2. de nativ. Domini. Ludolphus Saxo vitæ Christi p. 1. c. 2. Franciscus Mayronius in 3. sentent. q. 13. a. 3. Paratus vetustus Scriptor serm. de Concept. B. M. Virg. Rubertus de Licio de laud. SS. serm. 20. c. 3. Themessvar stellarii lib. 5. p. 1. cap. 11. Dionys. Richel. serm. 2. in nat. B. Virg. Mantuanus princ. libri 2. Parthenices Galatinus lib. 7. c. 13. Breviarium Roman. 1520. Paris. pressum. Christianus Adrichom. theatr. terræ 5. pag. 259. Galatinus lib. 7. c. 4. Valentinus Leuchtius Viridarii Regii lib. 3. c. 32. Jacobus Canisius medit. p. 3. §. 11. Laur. Cuperus V. S. Annæ c. 3. Joannes Bonifac. hist. Virg. l. 1. c. 3. Hadrianus Lyræus Trisagii Mariani lib. 1. sono 34. Quin imo quod Sybillæ gentiles, Rabini, & alii nomen MARIA pronunciarint, memorant Bartholom. Pisanus conform. 3. Passionale Saxon. in festo S. Annæ. Mauburnus Roseti tit. 24. alphab. 56. membro 3. Bonifacius c. 2. & 7. Galatin. l. 7. c. 12.

5. Ulteriora Angeli verba: *Virga generabit Altissimi filium*, adducunt & comprobant Hieronymus & Bertrandus ubi supra. Otto Passauius in sene duodecimo. Antoninus p. 1. hist. tit. 5. c. 6. §. 10. & 4. p. summæ tit. 15. c. 4. §. 2. Guilhelmus Pepinus serm. 2. de S. Anna. Themessvar stellarii lib. 5. p. 1. Zirixiensis Legendæ c. 3. Lansberg. edit. 1545. serm. 1. de S. Annâ. Agricola versu 133. Franciscus Costerus medit. 1. de Concept. Leuchtius ubi supra. Matthias Faber conc. 1. in
nat.

nat. B. Virg. Hubertus Commesheim ferm. 3. de Concept. SYBILLAM tam Tiburtinam, quam Erithream, eadem prænuntiasse, memorant Damascen. ferm. de iis qui in fide hinc migrarunt. Beda in fine tom. 2. edit. 1612. Colon. pag. 236. Pisanus & Passionale ubi supra. Salmeron tom 3. tract. 4. pag 24. Bonifac. c. 2.

3. Contra præmissorum sententiam videtur militare S. Ambrosii auctoritas dicentis: *Tanti mandati mysterii non hominis fuit sed Angeli ore promendum.* HODIE PRIMUM auditur: *Spiritus sanctus superveniet in te.* S. Bernardus similiter in homil. super Missus est scribit: *Non arbitrator hunc angelum de minoribus esse, qui quâlibet ex causâ crebrâ soleant ad terras fungi legatione, Quod ex eius nomine palam intelligi datur quod interpretatum fortitudo Dei dicitur: & quia non ab alto alio forte excellentiore se (ut assolet) spiritu, sed ab ipso Deo mitti perhibetur, propter hoc erga positum est à Deo: ne cui vel beatorum spirituum, suum Deus antequam virgini revelasse putetur consilium, excepto duntaxat Archangelo Gabriele, qui utique tanta inter suos inveniri potuerit excellentia, ut tali & nomine dignus haberetur & nuntio.*

7. Cum autem S. Mater Ecclesiâ in Breviario^b Rom. verba S. Ambrosii præmissa receperit, atque in proprio Ordinis Minorum^c S. Bernardi homilia recitetur, iudicio S. Matris Ecclesiæ

^b Breviar. Rom. in festo Annunciat. ^c Proprium Ordin. in festo S. Gabrielis.

fiæ reverenter deferentes viri docti malunt huic adhærere sententiæ, posthabitâ alterâ antiquitus magis frequentatâ: cum quia S. Ambrosius dicit: hodie primum (id est in die Annunciationis) illud mysterium B. Virgini denunciatum esse, tum quia ex Scriptura Lucæ 1. c. colligi posse videtur, sanctissimam Virginem ignorasse se futuram Matrem Dei, usque ad Angeli annunciationem, quod non ignorasset, sed dubio procul à parentibus didicisset, si illis antea fuisset revelatum.

8. Jodocus Beiselius Patricius Aquensis in Rosario de S. Annâ rem gestam ita concelebrat:

*Anna tibi æthereâ celer astans nuncius aulâ
Gaude ait, en sobolem mater habebis ovans,
Anna feres sobolem tantâ virtute beatam,
ut cum virgineo mater honore micet.
Anna ferens gnatam, cujus quem non capit
orbis
Ipse libens subeat viscera casta Deus.*

*Occursus SS. Ioachim & Anna ad
Portam auream. §. 14.*

POrta aurea Hierosolymis templo sic adhærebatur, ^a ut potius porta templi esset quam civitatis, ad quam SS. Coniuges de visione læti, & promissæ prolis certitudine securi, sibi mutuo ^b occurrunt, visa & audita referunt. Antequam

^a Brocard. fol. 462. ^b Adrichom. loco 156. Jerusalem.

quam provehamur longius pro confirmatione
 historiæ, lubet hic refricare locorum & vetusto-
 rum librorum lamellas sive formulas, quibus-
 cum consonat recentior sciagraphia in sanctâ
 Ubiorum Coloniâ, nostra ætate expressa prima-
 ria mysteria virginis Deiparæ vitæ repræsentans,
 in cujus vestibulo, & pyramidali fastigio, *Beata,
 intacta, semperque virgini Mariæ, Matri vitæ, in-
 ter ceteras immaculatæ, nobile illud iconum spe-
 ctaculum* dedicasse memorantur Joannes Stada
 inventor, Joannes Hous figurator, & Petrus
 Ouerad impressor; prima inibi sequens figura
 repræsentat à longè Angelum in Aëre pendulum
 supra Joachimum in monte orantem: reliqua
 autem figuræ planities exhibet portam auream,
 atque ante ejus introitum SS. Conjuges, Joa-
 chim & Annam osculo (sicut Hebræis mos^c erat)
 sese salutantes, quorum alloquium mutuum sub-
 jecto metro exprimitur hujusmodi:

*Adfuit ô Conjunx claro demissus olympo
 Nuncius, & sobolem verbis promisit apertis.*

Sixtus Senensis^d ait: *Sciagraphica, hoc est, um-
 bratilis & picturalis expositio est, qua per varias
 figurarum & imaginationum delineationes clarius
 & apertius præ oculis ponit ea, que non admodum
 apertè verbis exprimi potuerunt, non tam orna-
 menti ac decoris gratiâ, quam necessitatis ratione
 à sacris*

^c Mantuan. princ. lib. 2. Parthen. Canis. Marial. lib. 3. c. 2. &
 Franc. Mendoza Comment. in lib. Regum tom. 3. edit. 1634. Co-
 lon. pag. 87. ^d Senens. bibliot. 5. lib. 3. pag. 177.

à sacræ expositoribus excogitata. Hodæporica e
terræ sanctæ Germanica, contestantur picturam
ejusdem itidem historiæ, visam in vestibulo tem-
pli S. Annæ Hierosolymis: ita & doctorum homi-
num libros diversos idem schema repræsentan-
tes exhibere possumus.

2. Ad integritatem quoque historiæ perti-
net, ut rejiciamus vetus commentum quorun-
dam simplicium, qui dixerunt S. Annam ex præ-
memorato osculo, aut de Spiritu sancto conce-
pisse, quod imprudentiæ, temeritatis & respecti-
vè hæreseos insimularunt insignes Theologi
S. Antoninus summæ p. 1. tit. 8. §. ult. in fine & tit.
15. c. 4. §. 2. Robert. de Licio serm. de Concept.
c. 3. Themewarstellariilib, 4. p. 1. a. 1. Jodocus
Clichtovæus heptalogi serm. 1. & Bartholom. à
Medina in 3. p. D. Thomæ q. 27. a. 2. concl. 1.

3. Appositè S. Epiphanius^f Constantiæ Cy-
pri Episcopus de virgine Maria sic scribit: *Quæ
ex Joachim donata est Anna, per preces & omnem
diligentiam, secundum promissionem patri ac ma-
tri data est, non tamen aliter genita est, præter ho-
minum naturam, sed sicut omnes ex semine viri &
vero mulieris. Tametsi enim historia Maria &
traditiones habeant, quod dictum est patri ipsius
Joachim in deserto: uxor tua concepit, tamen non
quod sine conjugio hoc factum, neque sine semine vi-
ri, sed futurum. Angelus missus prævaricatus est,
ut ne qua hæstatio fieret propter id, quod in veri-*

^e Hodæpar. Francofurti anno 1584. eusum fol. 449. p. 2.
^f Epiph. Mb. 3. hæ. 79.

itate factum est & jam ex Deo ordinatum, & justo promissum. Ita S. Damascen. & lumbos Joachim & Annæ ventrem magnificat.

4. Ipsamet virgo Deipara S. Brigittæ revelavit, se natam ex Joachim & Annâ, absque tamen labe originalis peccati. Revelationem hujusmodi ante annos propè ducentos in Ordine Eremitarum S. Augustini gravis Theologus Godscalcus Holen^h allegavit, & alii passim Doctores quoque recentiores, non tam ex certis traditionibus, quam consensu communi docent, virginem naturali cursu conceptam. Petrus Comestor tractatu de Concept. Suarez tomo 2, in 3. p. D. Thomæ. q. 27. disp. 2. sect. 1. Henriquez summæ lib. 3. c. 11. §. 4.

5. Si quis quærat, an S. Anna sola Nazaretho Hierosolymam abierit? Habcat responsum quod Joannes Azoriusⁱ in simili dedit inquiens: *Abiit Maria cum festinatione in montana. Si comes via non fuit Josephus sponsus eius, consequens est, ut aliqua femina fuerit, quæ sibi nota & familiaris erat.*

6. Ex portâ igitur aureâ SS. Conjuges contiguum templum ingressi, Domino humilium exaltatori, debitas egerunt gratias. Adoratione completâ juxta Piscinam probaticam, quæ haud longè à templo recedebat, domum suam ingrediuntur: ^k siquidem utrobique habitabant, &

Naza-

^g Damasc. orat. 1. de nat. B. Virg. ^h Holen scdm. de Concept.

ⁱ Azor. inst. moral. tom. 2. l. 1. c. 23.

^k Adrichom. pag. 2. q. 21. infra relatus.

Nazarethi per annum, atque Hierosolymis, approximantibus, majoribus festis anni, ubi jam nunc divinæ respondentes voluntati, mediante conjugali debito, secundum morem Sanctorum, casto complexu usu sunt, juxta præceptum Domini & instinctum Spiritus sancti, ut partis secundæ quæst. 21. plenius dicetur. *Non satis est* (ait S. Ambros. lib. 2. de Abraham c. 8.) *rectè facere nisi etiam matures quod facias: uberiores enim fructus habet celerata devotio.* Plurimum consonat Halicarnassæus inquit: Quid igitur cunctaris? quasi verò fortuna exspectare soleat procraftinationes hominum.

7. Occursus mutuus SS. Conjugum, & eorum præambula sequestratio, ex traditionibus, fideque historicâ posteritati innotuerunt, nec reperire licuit scriptorem, qui eadem facta ex professo impugnarit, quæ si hac tempestate cujuspiam captum minus ingrediantur, audiat ille prudens dictum Seraphici Doctoris¹ Bonaventuræ, docentis: *Hoc quia authenticum non est, non compellimur credere: quia etiam contra fidem non est, non compellimur negare.* Plenior confirmatio sequetur par. 2. q. 11. & seqq.

¹ Bonav. in 3. sent. dist. 3. p. 1.

CONCEPTUS FILIÆ SS. JOACHIM & ANNÆ. §. 15.

Tota pulchra es & macula non est in te. Verba isthæc Cantici Canticorum, ad immacula-

^a Cant. 4. v.

culatam Deiparæ Conceptionem applicari nemo est, qui nesciat. De æternâ matris & filiæ in mente divinâ Conceptione egimus supra, de temporali restat ut nunc agamus. Mater pulchræ dilectionis Anna, longè pulcherrimam concepit filiam. De utriusque pulchritudine Nicolaus Cusanus Cardinalis tractans^b sic scribit: *Omnia autem in virgine gloriosâ ab initio sic se habuerunt, quod ipsa fuit capax gratiæ, non ut cæteri diminutè sed plenè: ita quod non habuit opus in vitâ suâ purgatione, sed conservavit animam sanam, quia actualiter taliter nunquam peccavit, quod aliquid plena gratia perdiderit, fuit enim confirmata in gratiâ, quia lex membrorum stimulus, & peccati fomes, non regnaverunt in ipsâ. Singularem enim privilegio fuit exempta, de principatu & legibus huius mundi: vas enim corporeum in quò recepta est anima illa gloriosa, & resplendens gratiâ, sanctificatum, purificatum, & odoriferum factum est, prius quam illa in eo reciperetur, & creando infunderetur, neque in eo remanserat ulla infirmitas, aut ad infirmitatem trahens proclivitas à progenitoribus contracta. Rursum idem Cardinalis, ^c *Sola gloriosissima virgo, non reperitur tempore ullo peccato originali subjacuisse, animæ ejus creata, non indiguit luce vitæ, quæ copiosè creationi absque morâ ullâ coaffuit, nec est Mariâ delecta de libro mortis, quia nunquam in eo scripta fuit, sed inscriptio eius**

F

64

^b Cusan. Excitat. lib. 5. ser. Coelum & terra transibunt,

^c Cusan. Excitat. lib. 8. ser. Sicut Liliū,

ex aeternâ præfinitione, antequam concepta, ad librum vita pervenit.

2. Virginem, ex quâ nova creatura prodiit, filiam quidem fuisse Adami juxta divinam promissionem, at non ex Adamo, neque ex ejus Semine, delirando scripsit Philip. Paracelsus^d quem taxat Gregorius de Valentia tom. 4. disc. 2. q. 7. puncto 3. Ita & impudens calumnia est Joannis Pomerani Sectarii, qui in c. 1. & 44. Jeremiæ affirmare non erubuit, Catholicos pro articulo fidei habere, quod B. Virgo absque peccato, quantumvis ex viri semine, imo ex Spiritu sancto concepta sit; de quo itidem memoratus pater de Valentia loco citato. Contra Pomeranum libet adducere Martini Lutheri hæresiarchæ verba^e dicentis: *Infusio animæ piæ creditur sine originali peccato facta esse, ut scilicet in ipsâ anima infusione, una etiam ab originali peccato purificata fuerit, divinis dotibus redimita, ad accipiendam sanctam animam à Deo ipsi infusam, atque ita à primo momento cum vivere inciperet. omnis peccati expers erat.* Joannes Bonifacius^f cum septentrionali isto Saxone, verè saxeo, miserum desiderium Erasmus, pluribus in locis firmum assertorem immaculatæ conceptionis conjungit, adeò ut videatur etiam salus ab inimicis, & ab invitis expressa veritas, quæ diu obscura esse non potest. Impurissimi Mahumetis eandem confessionem addu-

^d Paracelsus l. 2. artis Chymicæ c. 2. ^e Lutherus in Concept. Mar. tom. 6. enarrat in Evang. edit. 1527. Argent. ^f Bonifac. hist. Virg. l. 1. c. 4. in fine.

adducit noster Philippus Diez summæ prædican-
tium tomo 2. tit. Mariæ sacratissimæ conceptio
edit. 1601. Venet. pag. 49:

3. Doctoris & Seraphici ore sanctissimo, the-
ma introductum concludamus, cuius verba sic
habent: *Domina nostra tota fuit purissima, omni
carens penitus macula, tam in corpore quam in
animâ: unde ipsi soli convenit illud: Tota pulchra
es & macula non est in re.* Trithemius^h cum filiâ
matrem collaudat, inquiens: *Verè sancta qua il-
tam sine culpâ originalis macula peperit, quâ nulla
sanctior unquam fuit: sine crimine originalis ma-
culæ partus, non decebat matrem nisi sanctam: Dei
genitricem concipere & parere, non congruebat,
nisi Deo gratissimam, & præ cunctis tunc in Israel
devotam. Non erat in Israel sanctior altera, quæ
in Conceptione Dei genitricis, Spiritui sancto vâs
sine macula construxit.* Perez super Magnificat
folio 400.

4. Petrus Trecensis Presbyter, Comestor
communiter indigitatus, vetustus scriptor, tra-
ctatû de immaculatâ Concept. ait: *Non gaudet
mundus quod Anna virum cognoverit, sed gaudet
quod salutis suæ causam suscepit. Et quia compel-
lor dicere, non humores Ioachim veneratur, sed
quia Maria concepta sit gratulatur, cuius Conce-
ptionis Sacramentum in Spiritu prævidens Isaias
ait: Egre dietur Virga de radice Jesse &c. ubi*

F 2

auctor

g S. Bonavent. serm. 1. de B. Virg.

h Trithem. c. i. 3. & 4. de laud. S. Annæ.

auctor insigniter immaculatam deducit Conceptionem, de qua Petrus Biverusⁱ speculatur: *Quasi per quendam pontem transit homo, cum per generationem humanam in mundum venit. Venit & virgo, sed deiecit ex ponte mortem, demersit in utero Anna, mors demersa est, emerfit illa.* Breviar. Romanum anno 1520. in festo S. Joachim Responsorio septimo canit: Decuit ut tam singularis & sancta conceptio illius virginis, quæ omnis sanctitatis paritura erat auctorem, de parentibus fieret sanctissimis, quibus in toto orbe terrarum similes non essent.

5. S. Thomas^k dicit, quod B. Virgo Maria, quia concepta fuit ex commixtione parentum, originale peccatum contraxerit, sed e contra constans veritas est, de qua p. 2. q. 21. plenius infra, quod SS. Joachim & Anna præcepto divino, & impulsu Spiritus sancti, castissimo complexu, more Sanctorum convenientes, in senili corpore, absque naturali concupiscentiâ, generarint singularem hanc filiam. Galatinus^l quoque sub id temporis, Joachimo & Annæ devotionem adeo ardentem & vehementem contemplationem attribuit, quod fomite in actu generationis extincto, peccatum originale in conceptione immaculatæ virginis locum non habuerit.

6. S. Fulbertus^m de ortu almæ virg. tractans ait: *Denique in huius Conceptione necessariâ,*
band

ⁱ Biver. dissert. 3. pag. 518. ^k Thom. p. 3. q. 27. a. 2. ^l Galat. 1. 7. c. 8. ^m Fulbert. serm. 3.

hæc dubium est, quin utrumque parentem vivificus & ardens spiritus, singulari munere repleverit, quodque ab eis sanctorum Angelorum custodia seu visitatio nunquam absuerit. Merito siquidem huius sanctæ virginis multum adeo laudandi sunt & extollendi sanctissimi procreatores, qui in cunctis institutionibus tantos ac tales se præstiterunt, ut non immerito de eorum stirpe prodiret talis successio, quæ fieret & priscis ætatibus & subsequen-
 tibus exemplum totius bonitatis. Felix & præ cæteris patribus felicior, qui tantæ prolis meruit vocari pater. Verè Beata, & in omni veneratione habenda, & quodam privilegio sacro prædicanda, mater huius sanctæ, quæ omnium antecessit matres in concipiendo & generando eam, quæ suum & omnium generaret creatorem. S. Damascenus: n̄ Ioachim & Anna sibi ipsis ad iusticiam seminarunt ac vitæ fructum messuerunt. Illumina-
 verunt sibi ipsis lumen scientiæ ac Dominum exquisierunt, germenque iustitiæ ipsis venit. De illustrationibus animæ interioribus & gaudiis spiritus Exegetici c. 5. sub finem dictum est. Biverus dissert. 1. pag. 132. & pag. 138. asserit, quod Anna beatitudinem in ventre portavit, & supra modum illustrata fuerit.

7. Erat Anna, ait Trithemius, ° priusquam conciperet matrem Dei sancta: in conceptione tamen per amplius sanctificata, quoniam tabernaculum illius effici meruit; quæ super omnes creaturas

F 3

gratiâ

n̄ Damasc. orat. 1. de nat. B. V. o Trith. c. 3. de laud. S. Annæ.

gratiâ plena fuit. Capsam vel arcam, in quâ Sancto-
rum conduntur pignora, sanctificatam & honora-
bilem dicimus: quanto magis venerabilem Annam,
in quâ Dei mater sine maculâ jacuit, honoratam
sanctificatamque venerari debemus? verè sancta,
quæ illam sine culpa originalis macule peperit, quâ
nulla sanctior unquam fuit. Unde & Jacobus de
Clusa^p SS. Theol. Doctor, & principio seculi
quinti decimi Erphurti Professor, postea ibidem
Carthusianus gaudens eructabat: *O felix uterus
Ane, qui prole tali meruit fecundari. Credendum
est, sicut uterus Elizabeth, qui Joannem Baptistam
gestavit, multo gaudio spiritali exultavit, & re-
pleta ipsa fuit Spiritu sancto, quando Joannes præ-
sentiam Domini sui sensit, sic & plus ipsa S. Anna
propter præsentiam matris Domini, multis gratiis
fuerit visitata, ex quo Maria Joannem & Elizabeth
multis gratiis antecessit.* Trithemius ubi supra
prosequitur dicens: *Quantum differt Rex à mi-
lite, tantum modo Anna merita, donis Elizabeth:
gratiâ plena fuit propter Joannem, multo magis gra-
tiam consecutam credo Annam, propter Mariam.*
*Erat Anna, priusquam conciperet matrem Dei,
sancta, in conceptione tamen per amplius sanctifi-
cata: quoniam tabernaculum illius effici meruit,
quæ super omnes creaturas gratia plena fuit.*
Hæc ille.

8. USUM RATIONIS, virgo maternis clausa
visceribus, habuit, sine ullo peccato concepta
fuit,

p Clusa serm. i. de Concept.

fuit, eo quod in gratiâ anima eius creata sit, & eodem instanti corpusculo in Annæ matris visceribus formato & organizato infusa. In ipso creationis, sanctificationis, & infusionis instanti, Deum & cognovit & amavit, & per hæc duas intellectus & voluntatis actiones primam promeruit gloriam, at non primam gratiam, sine gratiâ namque nemo operari potest. Speciali Dei privilegio rationis illi usus fuit acceleratus, & nisi hæc acceleratio fuisset, tam citò Deum & cognoscere & amare non potuisset. S. Bernardinus tom. 1. serm. 61. a. 3. c. 3. & Tomo 2. serm. 51. a. 1. c. 2. Rikelius de laud. virg. a. 12. Jacobus de Clusa serm. 1. de Concept Perez loco citato. Maximilianus Sandæus in theologia varia libri 3. coment. 9. exercitat. 2. atque Faber conc. 3. de Concept. Suarez tom. 2. de virtute & statu religionis lib. 2. c. 19. n. 5. Barradius lib. 6. c. 3. Rutilius Benzoni de jubilæo lib. 2. c. 6.

9. FOMES in B. Virgine omnino extinctus fuit. Ita Doctor Seraphicus S. Bonavent. in 3. sentent. dist. 3. dub. 5. Josephus Angles p. 1. florum Theol. q. de dæmonibus & p. 2. dist. 28. q. 1. a. 8. Anton. Corduba qq. theol. lib. 1. q. 45. Faber tom. 1.

10. GRATIA primâ in Mariâ major fuit, quam gratia omnium Sanctorum & Angelorum, quod B. Virgo S. Mechtildi q aliquando revelavit dicens: *Admone me gaudii quod habeo ex eo,*

F 4

quod

q. Mechtild. lib. 1. c. 52.

quod me Deus super omnes angelos, & super omnem creaturam, dignissime honoravit. Ex illâ namque horâ, quâ anima mea corpori est infusa, Spiritu sancto me replevit, qui me ab originali peccato penitus defendit, & singulari sanctificatione in sacrarium sibi elegit, velut rosam sine spinâ, & tanquam solem orientem in mundum. De gratiâ primâ Jacobus de Clusa serm. 2. de Concept. Vasquez in 3. p. D. Thomæ disp. 119. n. 1. & seqq. atque Illdephonfus Giron conc. 1. in Concept. Rationem intrinsicam de plenitudine istius gratiæ, Joannes de Turre cremata^r Episcopus Sabinensis adducit dicens: Ostenditur juxta S. Thomam quantò aliquid magis appropinquat principio, in quolibet genere, tantò magis participat effectum illius principii; unde dicit Dionysius quarto cælestis Hierarchiæ, quod Angeli Deo propinquiore, magis participant de bonis divinis, quàm homines. Christus autem principium gratiæ secundum divinitatem quasi auctoritative, secundum humanitatem ministerialiter, unde & Joannis 1. dicitur: *Gratia & veritas per Jesum Christum facta est.* B. autem virgo Maria propinquissima Christo fuit, secundum humanitatem, quia ex eâ accepit humanam naturam, & ideo præ cæteris majorem debuit à Christo plenitudinem divinæ gratiæ obtinere, sicut & obtinuit. Imo angeli licet in gratiâ fuerint creati, tamen eorum aliqui corruerunt: at vero sanctissima

Vir-

1 De turre in festo B. Virg.

Virgo, sic fuit in gratiâ creata, ut statim in illâ fuerit confirmata.

12. DE IMMACULATA CONCEPTIONE Exegeticon c. 5. & 6. tractavit, quibus ex locuplete thesauro literario RR. PP. Carthusianorum Coloniensium connectimus sequentia: *f Thomas Dei & Apostolica Sedis gratia Episcopus Vicecomponensis, ac sacra Theol. Professor, universis S. Matris Ecclesie filiis salutem in Domino sempiternam. Splendor paternæ gloriæ, qui mundum suâ ineffabili claritate illuminat, pia vota fidelium, de clementissimæ suæ majestatis benignitate sperantium, tunc præcipuè benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas, sanctorum meritis & precibus adjuvatur; Cupientes igitur ut omnium fidelium devotio, in veneratione purissimæ Dei genitricis & virginis Maria, ubique terrarum augeatur, ipsiusque intemeratæ virginis sanctissimi parentes IOACHIM & ANNA veneratione congruâ honorentur ab omnibus, & à Christiano populo jugiter venerentur, omnibus contritis, pœnitentibus & confessis, qui piam assertionem illam ab Ecclesiâ in Concilio Basileensi assumptam, quod B. Dei genitrix virgo MARIA, nunquam subjacuerit originali peccato, sed speciali privilegio puritatis, semper ab illo præservata extiterit, ut matrem Dei decebat, predicaverint, crediderint & tenuerint; ac circa imaginem ejusdem sacratissimæ virginis Orationem Joannis Trihemii Ab-*

F 5

batis

f MS. Carth. Colon.

batis Spanheimensis, qua sic incipit: *Ave Sole splendidior &c. semel, aut salutationem angelicam, si orationem ipsam nescierint, flexis genibus trinâ vice cum devotionis intentione dixerint, toties quoties, ac qui sanctissimos parentes eius venerantes, orationem eiusdem Abbatis de S. OACHIM, qua sic incipit: O Patriarcha nobilis & illam de S. ANNA eiusdem: Salve sanctissima, & illam de nomine IESU contra subitanam mortem, qua incipit: IESU Rex cæli. aut si eas nescierint, ter Orationem dominicam devotâ mente dixerint, & qui alios ad venerationem purissimæ Conceptionis MARIÆ, sancta attentione induxerint, ac parentum eius memoriam, fidelibus propalaverint, aut aliquid præmissorum mandaverint, procuraverint vel alios ad hoc excitaverint. Nos de Dei omnipotentis misericordiâ, & B. Mariae semper virginis clementiâ & SS. Petri & Pauli Apostolorum, & omnium Sanctorum meritis, & auctoritate confisi, quadraginta dies indulgentiarum, de injunctis eis pœnitentiis, toties quoties aliquod præmissorum fecerint, in Domino misericorditer relaxamus. In cuius rei testimonium sigillum nostrum his literis fecimus appendi. Datum Moguntiae anno Domini millesimo quingentesimo tertio, die verò septima mensis Junii.*

Oratio præallegata sequitur.

13. Ave Sole splendidior, cunctisque pulchrior astris MARIÆ, Dei semper genitrix virgo
inta-

intacta, quam providentia Creatoris beata Mater ANNA ex JOACHIM viro sanctissimo sine originali maculâ concepit. Ave Sanctissima omnium Creaturarum, verè pura, innocens, decora & penitus immaculata, quæ Domino semper placens, iræ nunquam subjacuiti, sed ab omni contagione tam originali quam actuali, ab æternitatis consilio præservata, semper immunis Dei mater effici, absque commercio pollutæ carnis castissima meruisti, & nunc in excelsis super choros Angelorum elevata sine fine refulges, unica post Deum spes & confidentia mortalium. Nos enim firmissimè potentem te super omnes creaturas, O Maria, credimus, quam unicum in omni tribulatione solatium invocamus. Omnes te Sancti venerantur in cælis, & justique tuum nomen adorant in terris, tuo namque imperio Deus placidè subjecit omnia, quæ cognitione & amore perpetuo jam perfruens, amantissimè tuo principio feliciter crederis unita. Te omnes qui recto sunt corde diligunt, in te pœnitentes confidunt, Dæmones, O Maria, te contremiscunt. Ave mater Dei, Regina cœli, Domina mundi, Consolatrix in Christo gementium, Spes unica peccatorum. O MARIA Sanctorum omnium Sanctissima, rogo te per omnipotentis Dei gratiam, quæ matrem te luminis dignam effecit: rogo te per omnes virtutes tuas: rogo te per incarnationem & nativitatem Domini nostri JESU CHRISTI, rogo te per dolo-

rem

rem vulnerum ejus, per sanctissimi sanguinis Christi effusionem, per innocentissimæ mortis ejus virtutem, miserere mei & exaudi preces meas, quas ego licet indignus ad tuam pietatem facio, spem in te habens maximam, & nullam penitus de immensâ potestate tuâ hæitationem. O virgo Mater, ora pro me ad eum, quem sine corruptione pura concipiens, casta peperisti, ut meritis placatus tuis, tenebrosum intellectum meum in sui cognitionem veraciter illuminet, & affectum meum carnis infirmitate nimis tepidum in amorem sui continuum dulciter inflammet. Scio enim & confiteor indubitata fide, sentiens te apud Deum esse tantæ potentæ, virtutis, & majestatis, ut quicquid volueris in omni negotio, in omni tempore, & in omni petitione, nullam omnino patiaris repulsam. Quocirca te iterum atque iterum rogo, per creatorem universorum à quo tam excellentem potestatem accepisti, & totum quod es, impetra mihi peccatorum meorum veniam, divinæ miserationis gratiam, & Dei beneplacitam in omnibus perficere voluntatem. Dirige me tuis meritis, O Mater inclyta, & virgo pudicarum omnium pudicissima, in viam justitiæ & veritatis, quatenus te gubernante me, ita vivam in hoc tempore, ut mens mea carne tandem solutâ, gaudere tecum mereatur in æternitate, Amen.

14. Palilogia ex Beisellii Rosario, Christophillis animabus displicere non poterit:

Anna

Anna alvô gestas, quam signavêre figuræ
 Venturam, sancti quam cecinêre Patres.
 Anna geris clausam paradisum arbore vitæ,
 Fælicem & cuncto ruris honore sacram.
 Anna gravis gestas hortum, quem flâmæus ensis
 Custodit Cherubin, nocte dieque calens.
 Anna geris florem, qui candida lilia vincat,
 Et violas humiles, coccineamque rosam.
 Anna Mofayca in te deprehenditur arca,
 Ætherei panis aurea & urna jacet.
 Anna geris sponsam veri Salomônis, & omni
 Gemmâ conspicuam intus & extra domum.
 Anna geris templum, cuius penétralia dulces
 Implevêre soni, musica & omnis ovans.
 Anna geris velum, pulchra sub imagine patrum
 In se gesta tenens, quod tegat alta Dei.
 Anna geris sobolem, cuius Phœbi aurea vestit
 Flamma caput, niveôs candida luna pedes.

NATIVITAS FILIÆ SS. JOACHIM
 & ANNÆ. §. 16.

Terra nostra dedit fructum suum, Psal. 121.
 Simile huic olim Leodiense vetus Brevia-
 rium in festo S. Annæ accinebat: *Felix terra pa-
 riens cœlum Trinitatis, in quo corporaliter fons di-
 vinitatis habitare voluit.* Thema istud, inhæren-
 do figuræ à S. Antonino allatæ, convenienter
 adducitur, simulque involvitur plenior tam ter-
 ræ quam fructus consideratio, ad quam insigni-
 ter

ter Remigius Lucæ^a Orator nos introducit sic declamans: *Quemadmodum autem, ut ille Theologorum phœnix Aquinas ait, ita in genitricem suam infinitos celestium gratiarum thesauros effudit, ita omnem bonitatis sue oceanum in illam derivavit, ita sapientiam suam, providentiam, omnipotentiam circa illam penè exhaustit, ut meliorem formare & digniorem, præstantioremque producere, ne dicam excogitare non posset, sic in aviâ sibi preparandâ id efficit, ut excellentiorem matris sue Matrem preparare non posset, quippe tantâ naturæ dignitate, tantâ divinarum gratiarum copiâ, tam admirandâ conditionis felicitatem præstare illam ceteris omnibus omnium ætatum matronis voluit, ut uni ac soli Maria Filia sua cederet; Et verò quid excellentius ad dignitatem esse potest, quam Dei Matris matrem esse? quid dignius ad excellentiam, quam divine majestatis aviâ effici? quid admirabilius ad vitæ conditionem, quam Dei filium nepotem suum appellare? cogitate quidquid vultis, & animo quantamcunque dignitatem comprehendite, si dicatis non potuisse nisi ex Mariâ nasci Deum, hoc dico non potuit nisi ex Anna Maria procreari. Ita & noster Pelbardus Themefwar^b præstans quondam Theologus deduxit congruum fuisse, est virgo Maria mater Dei futura à SS. Joachim & Anna in tempore nasci deberet.*

2. Deinde quantò matres per naturam fuerunt steriliores, tantò supernaturaliter fecundatae,

^a Remig. orat. de S. Annâ. ^b Themefv. sem. 1. de S. Anna.

data, genuerunt partus celebriores & sanctiores, inter quas tamen Anna ista gloriosa, quæ nobis matrem salutis genuit, dignæ specialis prærogativæ, & dignitatis obtinet principatum, quia teste Damasceno^c aliis sterilibus dignior fuit: deinde dignitas prolis naturaliter redundat in honorem parentis. Nulla mens humana potest capere, nec aliqua lingua potest ad plenum disserere, quanto honoris privilegio divina clementiæ gloriosam Annam illustravit, quæ nobis germen salutis protulit, & stellam matutinam, totum mundum suo splendore illustrantem, supernaturaliter generavit. Hæc est illa gloriosa femina nimium honoranda, in quâ & ex quâ præparatum est vas virginicum, divinis charismatibus plenum: ac micantibus virtutum margaritis ineffabiliter adornatum, in quo vase Verbum æternum ex nimia charitate vestem induit nostræ mortalitatis, ut nos participes faceret gloriæ suæ divinitatis. O verè radix benedicta, quæ sola digna fuit portare surculum & virgulam, in quo flos candidus & rubicundus electus ex millibus nasceretur, hoc est, ipse Christus, qui est flos per amantem & odoris suavitatem, candidus per innocentiam puritatem; Rubicundus per fervidam charitatem: sed electus ex millibus, ad promerendam nobis æternam felicitatem, propter quod in eâ verificatum est illud Isaia 11. cap. vaticinium: *Egredietur Virga de radice Jesse: hæc est virgo.*

^c Damascen. lib. 4. de fide c. 15.

virgo Maria, de semine regio Joachim & Annæ:
& Flos, id est, Christus, qui fuit totus in virtuti-
bus floridus, *de radice eius ascendet*, super quem
Spiritus sancti septiformis gratia requievit: Et
qui nobis secundum Augustinum fontem gra-
tiæ in seipso exhibuit: quo mentaliter recrea-
ti non pereamus siccitate in solitudine præsen-
tis exilii.

3. Plurima faciunt ad S. Annæ præconium,
quorum omnium fons fuit & scaturigo, quod ex-
titerit genitrix Mariæ, & avia Christi, ut ei appo-
sitè accini possit, quod Jaeli Delbora in cantico
suo: *Benedicta inter mulieres Jael & benedicatur
in tabernaculo suo.* In tabernaculo suo Jael be-
nedicitur, quia in eo Sisaram interfecit, verè be-
nedicta inter mulieres Anna, & benedicenda in
tabernaculo suo, Mariâ scilicet, quæ caput ser-
pentis contrivit. Alexandri Alensis^d verba sunt:
*Judith B. Virginem tam factò quam interpreta-
tione designat, interpretatur enim confitens sive glo-
rificans Deum. Debent ergo venire in Bethuliam,
id est, in adorationem & honorem B. Virginis, ut
videant Judith, id est, ipsam B. Virginem & vir-
tutes ejus imitentur, dicentes id, quod ibi sequitur:
Tu gloriosa Jerusalem, tu letitia Israel, tu honorifi-
centia populi nostri, quia fecisti viriliter, & dicitur
ibi quod hoc dixerunt cum exisset Judith ad eos.
Per istum autem exitum Judith, significatur Nati-
vitas B. Virg. & exitus ejus de utero matris sue
Annæ.*

^d Alensis Psal. 80. vers. 7.

Anna. Hæc eadem causa à gravibus viris reddi solet, cur olim solius S. ANNÆ festum celebravit Ecclesia, & cur sanctior reputata fuerit S. Anna quam Joachim: immaculata scilicet virginis in ejus visceribus Conceptio, Nativitas, Educatio, & familiarior adhæsiō.

4. Doctissimus Episcopus ^f Bellicensis ait: *Locus in quo manna in tabernaculo asservabatur, fuit arca, & ille, in quem arca illata erat, Sancta Sanctorum dicebatur, qui magnam locum venerationem includebat, & quem solus Pontifex multis premissis purificationibus ac cæremoniis subibat; Arca, in quâ sacra Redemptoris Jesu Christi veri manna requievit humanitas, Deipara uterus est, totus è ligno Sethim incorruptibili compactus, perfectione inauratus, puritatēque condecoratus: at locus in quo arca hæc recubuit sancta fuit Anna, qua propterea Sancta Sanctorum meretur appellari, nec immerito: est enim Sancta Sanctorum mater, & Sancti Sanctorum, cui Cherubin & Seraphin incessabili voce proclamant Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, Avia. Addo ut si virgo templum fuerit Salomonis, Anna illius extiterit tabernaculum. Addimus eam quodammodo & aliquatenus plusquam Aviam Redemptoris videri fuisse, cum enim sine genero Ipsum filia ejus, id est, sine viri operâ genuisset, & è purissimo suo sanguine virginali, pretiosi corporis Jesu Christi*

G mate-

e Vincent. Themelvar, Petrus Jeremia & Pipinus in festo S. Annæ.

f Camusius in festo S. Annæ.

materiam suppeditasset, simul pater & mater quodammodo illi existens; hinc S. Anna amplius quid, quam Avia Redemptoris fuisse videtur, cum filie illius longè totalius & absolutius fuerit filius, quam ullus unquam sue matris filius. Quibus & hanc considerationem adnecto, cum ignis amoris, longè secus quam materialis, plus descendat quam ascendat. (unde fit, quod eò magis & ardentius nos diligit, Deus quam nos illum) quanto aviam hanc amore, nepotulum suum Jesum prosecutum existimatis? quin ò Deus bone, sancti amoris hujus scintillam habemus, hinc nobis clementissimam tuam misericordiam concedere digneris. Jam aliam illius dignitatem ac titulum excutiamus, quod fuerit nimirum mater Mariæ, matris misericordie, matris pulchre dilectionis, & sanctæ spei: mihi dicite charissimi, an non ardenti quodam erga Sanctam nostram amore efferimini, cum matris illam nostræ Mariam ac proinde Aviam nostram esse consideratis?

5. Ecce arbor in medio terra, Daniel 4. c. Hæc est Anna in medio Ecclesiæ, de quâ Petrus Comestor tract. de immaculata Concept. Gaudeat, oro, omnis terra, in cuius medio salutem operari dignatus est Deus. Arborem istam speciosè exornat Sansius § de Portâ, qui S. Annam vocat benedictam inter mulieres, eò quod benedictus fructus ventris sui. Hujus autem causæ rationem demonstrat triplici exemplo, ex arte, ex naturâ,
& ex

§ Sansius serm. 2. de S. Annâ. Hansvick tom. 1. enarr. 4. sect. 34.

& ex Scripturâ: primum quidem ex arte, siquidem effectus perfectionem denotat suæ causæ, communiter enim dicitur quod opus commendat magistrum, & Ambrosius super illud Rom. I. *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt &c.* declarat, quod etsi Deus & sua perfectio non possit cognosci per suam essentiam, quia natura invisibilis est, *Spiritus est Deus*, Joan. 4. tamen potest cognosci per suum effectum, scilicet cælum, terram, mare, & omnia quæ in eis sunt. Secundum exemplum in naturâ à fortiori quam in arte, quia ars imitatur naturam in quantum potest II. physic. in naturalibus pater & mater sunt causæ naturales filii vel filia: & tota perfectio prolis redundat in perfectionem parentum: quia imago demonstrat perfectionem illius cuius est imago, filius enim est imago patris secundum Augustinum, Prov. 10. *Filius sapiens letificat patrem*, quia sapientia filii redundat in perfectionem patris. Tertiū exemplum in Scripturâ, dicit enim Christus Matth. 7. totam bonitatem & perfectionem arboris esse à fructu, ita quod à fructu malo arbor mala, & à bono bona dicatur, & à fructu malo arbor maledicta, & à bono benedicta. Matth. 24. & Marci 12. scribitur, quia Christus non invenit fructum in quâdam arbore: arbor fuit maledicta, & per consequens ubi bonus fructus reperitur benedicta. Ad propositum, B. Anna artifex, B. Virgo artificiatum, ut in exemplo artis; Ipsa mater, virgo filia, ut in exemplo naturæ; Ipsa

G 2

arbor,

arbor, virgo fructus, ut in exemplo Scripturæ: & cum opus in arte redundet in perfectionem magistri, filius vel filia in perfectionem matris in naturâ, fructus in perfectionem arboris ut in exemplo Scripturæ, & virgo sit opus Annæ excellens, fructus cunctis placens, filia laude digna universaliter, *felix namque es sacra virgo Maria & omni laude dignissima*, ergo &c. Post hujusmodi auctoris discursum recurrendo ad thema hoc numero allatum, conclusionem subnectimus ex verbis Salvatoris Lucæ 6. *unaquæque arbor de fructu suo cognoscitur.* & Matth. 7. *Omnis arbor bona fructus bonos facit: ergo melior & optimus fructus arborem meliorem & optimam esse commonstrat.*

6. *Fecit quoque Deus duo luminaria magna,* Gen. 1. Solem scilicet & Lunam. Sol justitiæ Christus est, 1. Cor. 15. B. Virgo pulchra est ut Luna, sicut sancta Mater Ecclesia de eâdem canit, de quibus præter alios plenius S. Antoninus ^h videri poterit. Oritur ante Solem luna vel auro-
ra, ante Christum Maria & Anna & quidem ante Verbum incarnatum anno 14. Maria, Augusta Virgo Deipara, parentibus Joachimo & Annâ est nata die 8. Septembris, quo mense secundum Judæos Eva est à Deo in paradiso terrestri creata, & ita non sine mysterio, hic idem mensis nobis Evam matrem viventium, inter mulieres benedictam,

^h Anton. 4. p. summæ tit. 14. c. 6. & Nicolaus Polonus in festo Concept. Mailardus in Purificatione. Carthagena de arcanis Maria & Joseph. lib. 18. homil. ultima §. 6. n. 1.

dictam, mirabili Dei opificio conditam manifestavit. S. Fulbert. serm. 3. *Verè beata illa secula quæ ex sacrato utero te meruerunt excipere.* Huc facit sublimis deductio Patris Themefwarⁱ allecto themate: *Nova Lux oriri visa est, gaudium & tripudium apud omnes populos.* Hester 8. c. concurrunt nostri Patres: Alensis tract. de Concept. lib. 3. cap. ult. & Oliverius Maillardi serm. de Concept.

7. Breviarium vetus Trevirense^k gratitudinem beneficii sic propalat: *Gaudet cælum & exultat terra ad præclara B. Anne solemnia, quæ nobis peperit Mariam, mundi Dominam, Reginam cæli, matrem Regis æterni; Ave mater, ave filia: per vos reis gratia Salvatoris conferatur, & iustis aperiatur janua Paradisi.* S. Damascenus: *Omnis creatura sacra Anne sacerrimum rationale laudibus prosequatur: bonum enim thesaurum, qui que nullâ vi eripi possit, mundo peperit.* Hanc maternitatis dignitatem in S. Annâ considerans noster Didacus de la Vega^l urget argumentum; quod Deus eam ad tantæ dignitatis evexerit fastigium, quæ infinitatis referre videtur speciem. Namque, ait, quâ ratione id ipsum de B. Virgine asseruit divinus Thomas,^m eâdem convenit ei, quæ mater ejus meruit esse. In B. Virgine esse matrem, fuit dignitas quasi infinita; namque uti majore meliorem nepote eam donare non

G 3

pote-

ⁱ Themefv. stellarii lib. 5. p. 2 ^k Trevir. in 2. vesp. festo S. Annæ. ^l Vega in festo S. Annæ. ^m Thomas p. 1. q. 25. a. ult. fol. ult.

poterat potentia Dei, ita in quantum talem, al-
 tius attollere, sublimiusque beare non potuit.
 Si omni benedictione domum Obededom Ce-
 thei auxit Dominus, solum quod exiguo tempo-
 re apud eum mansisset arca Domini: sub qua
 quidem benedictione continentur, prosperitas,
 fanitas, proles, opes, denique voluptates omnes,
 ut nulla daretur felicitatis species, quam ibidem
 non demisisse instar imbris copiosi videretur cæ-
 lum: O Anna gloriosa, cum fueris domus, in qua
 divinorum thesaurorum arca, sacratissima virgo
 filia tua & Dei mater, novem mensibus mansit,
 quam gratiam ex hoc non accepisti? quo bene-
 dictionis imbre non fuisti calitus perfusa? Ta-
 lia profundè consideravit Abbas Trithemiusⁿ
 exclamans: *O Joachim & Anna felicissimi paren-
 tes, qui digni fuistis illam producere, qua sine virili
 semine Dei filium meruit procreare.* Episcopus
 Bitontinus^o concurret tali elogio: *Si eam per
 metaphoram calum appellavero, est sublimior: Si
 stellam, infinitis modis est purior: Si Matrem gen-
 tium neque sic satis exprimo illius excellentiam:
 Si Imperatricem mundi, adhuc nobilior est: Si Dò-
 minam Angelorum habet titulos digniores: Si Ma-
 trem Dei, est quidem hic proprius eius honor, est
 eius dignitas, est eius gloria, sed in explicandâ eius
 maiestate, qua quasi infinita est, qua lingua non ob-
 murescet? Hanc maternitatem probant extol-
 luntque*

ⁿ Trithem. c. 8. de laud. S. Annæ & c. 5. exegetici.

^o Mussus in Assumpt.

luntque solidè & doctè nostri, Petrus de Posnania, serm. 3. de Dominicâ infra Octavam Nativitatis, Joannes de Ovando conc. 1. de Nat. Domini, & Theologi Scholastici suo loco. Annum exortæ Virginis in Exegetico adduximus. Locus exprimitur par. 2. q. 22. infra.

8. Fructum Nativitatis, noster Diez^p linguâ Lusitanâ sic expromit: *Nobiles duellaturi, patrum constitunt, qui parte alterâ de victâ, ac manus dare volente, baculum pacis interponat. Humanum genus contra Deum induerat arma, scilicet vitia & peccata: Deus quoque adversus hominem arma apprehenderat, videlicet pœnas ac supplicia, quæ ubi Regius Propheta Psal. 105. cumulatè descripsit, demum concludit dicens: Irriterunt Deum in adinventionibus suis, & multiplicata est in eis ruina.* Luctatore itaque humano genere pessundato, patrini allecti sanctissimi Patriarchæ, & inter eos potissimum Joachim & Anna, interventores pacis, prætendunt baculum, sacratissimam virginem Mariam, apud Isaiam tali epitheto prædicatam: *Egredietur virga de radice Jesse.*

9. Ad extremum introducamus S. Damasce- num^q neque negligamus ejusdem audire acclamationem piissimam hujusmodi: *Adeste gentes omnes, omne hominum genus, omnes cujusve lingue & ætatis ac dignitatis, orbis universi letitia nata-*

G 4

lem

^p Diez tom. 2. summæ prædicant. verbo. Mariæ sacratiss. Nat. pag. 55.

^q Damasc. orat. 1.

lem diem, letis animis celebremus. O par beatissima
 Joachim & Anna! vobis omnis creatura obstricta
 est: vos enim donum omnium donorum præstantis-
 simum, Creatori obtulistis, nempe castam matrem,
 quæ sola Creatore digna erat. O beatos Joachimi
 lumbos, ex quibus prorsus immaculatum semen
 fluxit! O beatam Annæ ventrem, qui vivum ce-
 lum, celis ipsis latius peperit! O beatam arcam, quæ
 vivifici frumenti segetem tulit! Letare Anna steri-
 lis, quæ non paris: erumpe & clama, quæ non par-
 turis. Exulta Joachim, quoniam ex filiâ tuâ filius
 natus est nobis, & vocatur nomen ejus magni con-
 filii, hoc est, salutis totius mundi, angelus. O beatum
 par Joachim & Anna! Profecto ex ventris vestri
 fructu immaculati agnoscimini; quemadmodum
 Matth. 7. Christus dixit: Ex fructibus eorum co-
 gnoscetis eos. Quæ omnia multis interjectis, Da-
 mascenus præclare prosequitur. Illustrationes,
 consolationes & gaudia parentum, delibavimus
 Exegetici cap. 8. Videantur quoque S. Germa-
 nus, Maillardus, Royardus & Faber tractantes
 de nat. B. Virg. atque convivium solemne Nico-
 lai à Montmorentey in officio S. Annæ.

IC. Terminemus Theodorici Grosemuodi
 tetrasticho:

*Virginis Anna parens salveto fausta Maria
 Ordini nostra digna salutis opus.*

*Quæ per te capta est humana redemptio quæso
 continues: precibus crimina nostra tegens.*

Edu-

Educatio & Ablactatio filiae SS. Ioachim
& Anna. §. 17.

Puer autem crescebat & confortabatur plenus
sapientiâ, & Spiritus Domini erat in eo, Luc. 2.
De Christo recens nato hæc scripta leguntur,
quæ de suæ benedictæ matris infantiâ Jacobus
de Clusa^a etiam intelligit: Siquidem iuxta præ-
missa credimus, illam visceribus maternis jam
dum inclusam, ratione & libero arbitrio uten-
tem, atque gratiâ sanctificationis admirabili præ-
ventam, cæpisse Deum amare, & mysticam theo-
logiam exercere, unde utique consequitur, quod
in lucem enixa creverit, & gratiæ divinæ magis,
magisque respondens, parentibus quoque doci-
bilem ac morigeram, omnibus autem amabilem
& desiderabilem, sese exhibuerit. Rectè itaque
S. Augustinus^b asserit, quod nunquam parentes
offenderit. Rupertus in Joannem ait: *Domina
nostra præclarissimum obedientiæ exemplum nobis
reliquit, quod tenella adhuc promptissimè & luben-
tissimè voluntati & præceptis suorum parentum
morem gesserit.* Sic testatur B. Mechtildis (de ar-
canis lib. 7. c. 5.) de iis quæ cælitus sibi patefacta
sunt, de virtutibus præsertim, quas eadem Do-
mina exercuerit: *Apueritiâ, inquit, sancta virgo
ad eò subjecta erat & morigera parentibus suis, in
omnibus iis, quæ præciperent, aut ab ipsâ fieri vel-
lent, ut nihil unquam committeret, quod eos offen-
derit aut minimum contristarit.*

G 5

2. S. Da-

a Clusa serm. 1. de Concept.

b August. l. 2. de Virg.

2. S. Damascenus^c contemplando infantiam virginis exclamat: O pulcherrima & suavissima filiola! O lilium inter spinas, ex nobilissimâ & maximè regiâ radice ortum! O rosa quæ ex spinis, hoc est, Judæis orta es, ac divinâ fragrantia cuncta perfudisti! O filia Adami ac Dei Mater! Beati lumbi ac venter ex quibus prodiisti! Beata ulna quæ te gestaverunt, & labia quibus puris tuis osculis frui concessum est. O sanctissima filia, in maternis ulnis conspicua, rebellibusque angelis formidabilis! O sanctissima filia, quæ materni uberis lacte aleris, & ab angelis undique cingeris! O Deo chara filia, parentum decus, quam, ut verè abs te dictum est, generationes omnes beatam prædicant, Lucæ I. O Deo digna filia, humane nature vetustas, primigena matris Eva correctio! S. Fulbertus: ^d Quanta, ait, putamus provisio fuerit sanctorum angelorum, circa tam Deo gratissimos parentes, ab initio sue procreationis, & excubatio super tam ingentem sobolem? Nunquid abfuisse credendus est Spiritus sanctus ab istâ eximiâ puella, quam suâ obumbrare disponebat: virtute? Nulli enim fidelium dubium est, quod circa eam omnis frequentia celestium agminum invigilabat, utpote quam supra se exaltandam minimè ambigebant.

3. Agite, nunc, rursus lingua eucharis Damasceni^e in auribus intellectualibus animæ nostræ sic resonet: Merito divinus Joachim, & Anna
ejus

^c Damascen. orat. 1. de Nat. B. Virg.

^d Fulbert. serm. 3. de ortu Virg.

^e Damascen. de Nat. B. Virg. in fine.

ejus uxor divinâ providentiâ vocati, precationis fructum perceperunt, hanc inquam naturæ Reginam, ac nostræ massæ primitias, cujus natalem dum agimus, atque incunabula honore complectimur, eamque quæ hinc profecta est, collapsi nostri generis excitationem, & in integrum restitutionem veneramur. Jam enim id quod nobis cognatum est, deificationis initium sumit. Jam pristina sterilitatis vincula solvuntur & quæ liberis carebat, mater efficitur, & pulchra prolis parens ea, quæ filiorum expers erat, invenitur, gaudet quæ Anna virginem infantem lactans. Jam sterilitatis meatus obstruuntur, & facunditatis vena tument. O sanctissima filia, quæ materni uberis lacte aleris & ab angelis undique cingeris!

4. DENOMINATIO MARIÆ, octavâ die, solemnitate consuetâ, juxta Numinis Supremi provisionem intervenit, de quâ S. Fulbertus: ^f Hæc itaque, ait, electa & insignis inter filias, non fortuito quidem, aut solo placito parentum, sed divina dispensatione nomen accepit, ita ut ipsa quoque vocabuli sui figura, magnum quiddam innueret, interpretatur enim, maris stella. De Mariani nominis notione, mysteriis, efficaciâ & consolatione tractavimus cap. 9. Exegetici; Si placeat ulterius consolantur Seraphicus Doctor Bonaventura in speculo B.M.V. lect. 2. 3. & 4. S. Antoninus 4. p. summæ tit. 15. cap. 14. Cæsarius Heisterbac. hom. super Missus est: Paratus in festo Concept.

Tho-

^f Fulbert. serm. 1. de Nat. B. Virg.

Thomas Kemp. serm. 23. ad Novit. Mayronius
 serm. 1. de B. Virg. Themefwar stellarii lib. 5.
 Josephus Geldolphus à Rickel de nomine Ma-
 riæ tetragamm. Salmeron tom. 3. tract. 4. Sua-
 rez in 3. p. D. Thom. tom. 2. q. 29. disp. 7. Vincen-
 tius Regius dilucidat. Evangel. lib. 1. c. 5. theor. 2.
 Cornelius à Lapide tom. 1. c. 6. super Michæam:
 Mendoza tom. 3. & Faber conc. 3. in Nat. B. Virg.

5. Episcopus Bellicensis ad populum sic de
 S. Annâ declamavit: *Non satis huic sanctæ matri
 fuit, filiam suam in lucem edidisse, nisi suis eam
 etiam ipsâ manibus adjuvaret, & puro suo lacte
 lactaret, quod ex immaculatâ conceptione prove-
 nerat, quàm autem ætatis nostræ matribus dissimi-
 lis, quas stolida quadam vanitas naturam propè co-
 git exuere, quæque feritate quâdam plusquam bru-
 tali à suis natos avellunt uberibus, ut alieno ac sti-
 pendiaro in gremio educentur, à mercede condu-
 ctis nutricibus, quapropter mirandum non est, si
 illustri prosapiâ genitis, sæpe inæplebecula vitia ad-
 herescant, cuius unâ cum lacte mores ingenium &
 indolem imbiberunt.*

6. Quod S. Anna filiam ipsam et lactarit, tra-
 dunt Damascenus orat. 1. & 3. de nat. B. Virg. Bi-
 verus differt. 1. pag. 172. & 244. Quod apud He-
 bræos per triennium lactare in more fuerit, &
 Maria sic lactata fuerit, Antonin. 4. p. summæ tit.
 14. c. 3. §. 3. & tit. 15. c. 16. §. 2. Mauburnus Roseti tit.
 24. alfab. 56. membro 7. Quod comaturale &

proprium sit matrum lactare proles suas. Jodocus Lochmayer in festo Præsentat, Pipinus in Adventu, Jacobus Middendorp. de officio Scholastici lib. 2. fol. 129. Cuperus in theatro mundi minoris pag. 59. Quod non minus Germanis quam Hebræis mulieribus solemne id fuerit, auctor est Cornel. Tacitus de situ & moribus Germ. Quod lactatio juris naturalis & supernaturalis sit, tradit Carthagenalib. 15. hom. 16. de sacris arcan. Deiparæ. Insuper quod matres non lactantes sint feris immaniore, & accipiant proles degeneres. S. Gregor. c. ad ejus 5. dist. Mendoza tom. 3. Concurrunt rationes, quod quæcunque enixa, nutrici alii filium tradit alendum, non solum sit lentior filii amatrix, verum etiam minus mater sit, nec integrè mater, ut insigniter probat Bartholomæus de Scobas serm. 6. de testamento Christi. Quin & ex malo lacte contrahuntur male conditiones. Antonin. tit. 15. suprâ citato. Cum Augustanâ itaque Ecclesiâ^h magnæ Matri Annæ applaudendo benedicamus: *O mater Anna nobilis, oliva pulchra fertilis, alta, fructu fecunda. Beata cuius ubera suxit virgo puerpera ab omni labe munda.* Atque ex convivio solemnî Momentmerencyⁱ eructemus: *O beatus Annæ venter, qui peperit hoc novum celum, longè ipsis cælis capacius: O beata ubera quæ meruerunt alimentum suppeditare nutrici ejus, qui totum mundum*

alit

^h August. Breviar. 1495. Augustæ recusum B. 2.

ⁱ Momentm. in officio S. Annæ lect. 5. & 6.

alit & pascit. Exulta Anna, olim sterilis, & nunc inter omnes fœminas honorificata de prole. Exulta & tu Joachime, quia ex filiâ tuâ nascetur filius, qui generis erit humani redemptio. O filia sanctissima, virgo dulcissima Mariâ, quæ maternorum uberum lacte nutrita es, & angelis undique circumdata.

7. Genitrices inordinatè proles suas diligentes alloquitur S. Ambrosius^k dicens: *Matres ablectate filios, diligite eos & orate pro iis, ut longævi super terram sint, non in terrâ, sed super terram. Nihil enim longævum in hac terrâ & quod est diu, breve & magis lubricum.* Hugo Cardinalis super verba: *Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? ab lactatus à lacte avulsus ab uberibus.* Isai. 28. sic commentatur: *Ablectatos à lacte adulationis, avulsos ab uberibus mundi, quæ sunt vanitas & voluptas.* Prov. 16. *Vir iniquus lactat amicum suum & ducit per viam non bonam.* Thren. 4. c. *Lamia nudaverunt mammæ lactaverunt catulos suos.* Propter hujusmodi ab lactationem *Abraham fecit grande convivium, Gen. 21.* quia Dominus multum gaudet, quando aliquis relictâ vanitate mundi & voluptate carnis, intrat religionem, aut facit in sæculo pœnitentiam. Luc. 15. *Gaudium est in celo angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.*

8. Panegyricon Rosarii Beiseliâni hæc accinit:

Anna

^k Ambros. Epistola 22. lib. 10. ad Vercellens. Eccles.

*Anna exoptata compos jam facta Maria,
Pectore vix toto gaudia oborta capis.*

*Anna recens natae plauserunt cuncta Maria
Sidera, & insolitum fluxit ab axe iubar.*

*Annæ tui fatus natalem credere fas est
Te Circùm angelicos concelebrasse choros.*

*Annæ tuum partum manes sensere profundi,
Lux nova tunc stygios terruit ipsa lacus.*

*Anna parens dubitas manibus contingere
gnatam*

Sole magis rutilam, luminibusque poli.

*Anna quid ætheream metuis tractare puellam?
Arridet matri, tristia nulla facit.*

*Anna capeſce animos, en lactea ad ubera tendit
Gnata, manus teneras & tua colla petit.*

*Anna moras rumpis, mammæ & pectora
nudans*

Excipis in tenero membra tenella sinu.

*Anna foves gnatam, dulcesque à pectore succos
Ore trahit roseo, murmurata grata sonans.*

*Præſentatio Filie SS. Ioachim & Annæ
in templo. §. 18.*

INeulerunt arcam Domini in locum suum in
Oraculum templi, 3. Reg. 8. Ponite arcam Dei
in sanctuario templi, 2. Paral. 35. Et: Visa est arca
testamenti in templo ejus, Apoc. II. Figuris hujus-
modi insigniter correspondet historia virginis
Dei.

Deiparæ in templo præsentatæ, quæ quantum exemplis perfectionis, & documentis virtutum exuberet cursim demonstrabimus.

2. Parentum quidem Joachim & Annæ patet justitia, in redditione debiti Deo per votum promissi, & quidem concurrit actus heroicus, dum non tardarunt filiam unicam, pulcherrimam, pientissimam, amabilissimam, posthabito solatio proprio, tam maturè à se abdicare. Trimam liquidem Deo oblatam, non solum S. Hieronymus de ortu virginis sed & alii SS. Patres contestantur.

3. Trithemius: *a* *O quam dignam Deo hostiam obtulit Anna, quando sanctissimam filiam in templo præsentavit? Denique ad matris sanctæ merita declaranda pertinet, quod filiam, quam concepit & peperit, statim ab infantiâ Domino consecravit. Nunquid non sufficit ad declaranda merita, tam excellens ab infantiâ filia vitæ. Infantis tenellæ promptitudo, obedientiæ, & elongatio à strepitu mundi concurrunt. In mundi quidem conversatione, non potest mens in divinis dilatari: nemo enim militans Deo implicat se negotiis secularibus, unde & Christus duodennis inter turbas amissus, in templo repertus fuit: Et quidem à teneris adsuescere multum est, ut canit poëta.*

4. In ipsis penetralibus templi, atque Sanctis Sanctorum, Hierosolymis vixisse perhibent

SS. Pa-

h Trithem. c. 1. & 6. de laud. S. Annæ.

SS. Patres, atque conspirant Panthaleon Diaconus in conc. de miraculis Gabrielis Archangeli, Nicephorus Eccl. histor. lib. 1. c. 7. & lib. 2. c. 1. Michael Glycas annal. par. 3. Ludolph vitæ Christi p. 1. c. 2. Suarez tom. 2. in 3. part. D. Thomæ q. 29. a. 2. disp. 7. Ludovicus de Ponte lib. 1. in Cant. exhort. 23. col. 206. Salmeron tom. 2. tract. 12. Bonifacius historiæ virg. lib. 2. c. 12. Joannes Carthagena de arcanis Deiparæ lib. 3. hom. 1. n. 5. Mendoza tomi 2. lib. 1. c. 4. a. 11. pag. 209. Biverus dissertat. 1. pag. 245. 250. & 251. Nec obstat quin successivis temporibus, aliis templi virginibus conjuncta fuerit.

5. Loci & locati consideratio, si juxta præmissa attendatur, ecquid captui humano occurreret citius, quam sanctissima virginis conversatio? Rursum quod sine ducentis & levantis manu, puella velut perfectæ ætatis, erecta ascenderit in templum, ubi sacerdotes officia exercebant, quid aliud nobis innuit, quam continuum in virtutibus profectum, & extensionem ad charismata meliora? Nam ut dicitur Prov. 4. c. *Iustorum semita quasi lux splendens proficit & crescit usque ad perfectum diem.* Unde & animalia quæ vidit Ezechiel, quod cum proficiscerentur non revertebantur, sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur, docente S. Gregorio, signabant sanctos viros, eò quod justi non redeant, ad mala quæ dimiserunt, nec desistant à bonis operibus, sed continuo ad meliora procedunt. Ita virgo sa-

H

go sa-

go sacratissima, in ascensu 15. graduum, neminem salutavit in viâ, non retrospexit ad parentes, sed & in templo manens, semper ad perfectiora opera se extendebat, facta omnibus sanctitatis exemplar. Profecit etiam in opere manuali, ut ab aliis virginibus Regina operis vocata fuerit, ut tradunt Honorius Augustodunensis, Doctor Michael Lochmayer in præsentat. B. Virg. & alii.

6. Veritatem facti, quod sacra infans absque humano adminiculo præmemoratos quindecim gradus conscenderit, decantarunt antiquitus Ecclesiæ; Augustana equidem anno 1471. exhortante Adolpho Archiepiscopo Moguntino, Præsentationis officium proprium recepit, quâcum & aliæ, ad vespertas sequentem decantarunt antiphonam: *Tantilla puellula, virtutis exemplū, nullâ freta gerulâ, ascendit in templum.* Breviarium Augustanum, Venetiis primum, dein anno 1495. Augustæ typis exaratum: Trajectense anno 1497. Venetiis proCUSUM lect. i. ejusdem festi: Lubicense anno 1513. Noribergæ vulgatum lect. 5. festi Conceptionis, & Romanum anno 1520. Parisiis editum in Vesp. & Matuti. festi Præsent. & Wormatiense 1576. Moguntia pressum. Insuper post S. Hieronymum de ortu Virg. eadem constabiliunt S. Bernardus super illud Apoc. Habebat in capite coronam stellarum: Jacobus de Vitriaco Orient. hist. c. 62. Mauburnus Roseti tit. 24. alph. 56. memb. 7. Vincentius Belluac. histor. spec. lib. 7. c. 65. S. Antoninus p. I. histor. tit. 4.

tit. 4. c. 6. §. 10. Viola Sanctorum, Passionale Saxonicum in Purificat. Zirix. Legendæ c. 5. Wilderat Vinetic. 4. Adrichom. theatri terræ sanctæ edit. 1590. Colon. pag. 260. Nausea cent. 1. de SS. homil. 100. Mantuan. Parthe. lib. 1. Salmeron tomo 3. tract. 12. Ludovic. Richomius in peregrino Lauretano c. 11. De Ponte super Cant. lib. 9. exhort. 5. §. 4. Mendoza tomi 1. in lib. Reg. lib. 1. c. 1. v. 22. n. 15. & 16. Barrad. lib. 6. c. 6. pag. 276. Beyerlinck Prompt. moral. p. 3. in festo Præsenti. Biverus differt. 2. pag. 275. Costerus med. 3. de B. Virg.

7. Mystica etiam consideratio 15. graduum oportunitatim concurrunt, quod B. Virgo omnes beatorum status supergressura erat, novem scilicet choros Angelorum, & sex ordines aliorum Sanctorum. Lochmayer & Mauburnus ubi supra.

8. Ad majus sanctitatis incrementum facit, quod B. Virg. Mariam in templo virginitatem suam absolutè Deo consecrasset, credant Bonavent. 4. sent. dist. 28. q. 6. & ult. Scotus in 4. dist. 30. q. 2. n. 4. S. Thomas 3. p. q. 28. a. 4. S. Bern. serm. 4. de Assumpt. Ambros. c. 2. Lucæ. Themeswar stellarii lib. 1. a. 3. c. 1. Perez in expositione canticæ Magnificat fol. 403. & 408. P. Salmeron tom. 3. tract. 4. pag. 30. Ludolphus vitæ Christi p. 2. c. 3. Suarez. 3. p. q. 29. a. 2. sect. 1. in fine. Henriquez lib. 11. de matrimo. c. 15. n. 1. Costerus med. 4. de B. Virg. quod prima voverit, ideoque virgo virginum celebretur. Salmeron ibi-

dem & Bzovius Panegyrico 1. in festo Præsentat. Honorius in Nat. Mariæ scribit: *Hæc prima inter mulieres vovit Deo virginitatem, & ideo sola inter mulieres meruit summa prolis fecunditatem.*

9. Et quia juxta S. Hieronymum *cognata angelis virginitas*, rectè traditur, quod dum B. V. orationi insisteret, angeli eam visitârint, & consolati sint, ejus orationes ad Deum deferentes. Ita Patriarcha Germanus Constantinop. & Georgius Nicomediæ^b Archiepiscopi inquiunt: Sanctissima Virgo in templi servata est penetralibus, angelis cibum ministrantibus, quem cibum, quod divinus esset, & illius admodum dissimilis, quem Eliæ & aliis Dei servis iidem angeli præbuisent, prædicti Sancti Ambrosiam nominarunt, sibi que Georgius persuadet, hosce angelos sacrosanctæ puellæ alitores & ministros, non semel esse visos atque agnitos à Sacerdote Zachariâ. Consonant S. Ambros. lib. 2. de Virg. S. Antonin 4. p. summæ tit. 14. c. 6. §. 2. Pantaleon Diaconus & Glycas supra relati. Barradius lib. 6. c. 6. Oforius in festo Præsent. Bonifacius & Beyerlinck ubi supra.

10. Concurrit Charitas, quæ vinculum perfectionis est, ex quâ resultat ædificatio proximi: Siquidem unicuique mandavit Deus de proximo suo, scilicet ut curam habeat de salute ejus Unde Anacletus Papa in c. tam Sacerdos 24. q. 3 *Omnes summam debent habere curam, de his qui pereunt,*

^b Georg. hom. de oblat. Virginis.

ut aut eorum redargutione corrigantur à peccatis, aut si incorrigibiles sunt ejiciantur de Ecclesiâ. Sollicita autem erat B. Maria, ne aliquam ex Sodalibus offenderet, admonens eas, ne contumeliosa esset altera alteri, sed invicem fervientes & honorantes, ab otiosis verbis abstinerent, semper Deum laudarent: unde & ipsa cum vocabatur, respondere solita erat, per *Deo gratias*, ut & illud modicum verbum non esset sine Dei laude.

11. Denique in virgine elucet robur & firmitas executionis propositi, in bono concepti, ut enim dicit S. Gregor. super Ezechielem: qui bona agunt, & meliora agere proponunt, si non faciunt, licet in bonis prioribus perseverent, in conspectu tamen Domini ceciderunt. Multa enim diabolus proponit ad impediendum, ne quis exequatur bona proposita, sed viriliter age, & esto robustus ad ea exequendum. Sic B. Virgo cum jam esset nubilis, & sacerdos admoneret eam domum reverti, ad nuptias contrahendas, respondit se hoc agere non posse, propter votum, seu (ut alii malunt) propositum virginitatis, atque ita firma & robusta fuit in sancto proposito strenuè exequendo.

12. Literalem historiam, in SS Patribus & classicis Scriptoribus, capite 11 Exegetici demonstravimus fundatissimam, ut tam Bartholomæi cujusdam commento de infantia Salvatoris, quam Proth. Evangelio sive historico sermone de natalibus Jesu Christi, sub nomine divi Jacobi

Minoris, anno 1569. Græcè & Latinè per Basileenses evulgato, posthabitis, veritas abundè promanet, quod ad lacunas corruptas recurrendi, nulla sit necessitas. Tutius ex ipso fonte bibuntur aquæ.

13. Discussis primariis rei admirandæ mysteriis anacephalæosis Beisselii^c superpondium reddat:

*Anna tibi est cordi gnatam exornare probatis
Moribus, & summo composuisse Deo.*

*Anna paras celso gnatam importare delubro,
Sponte sed ad superû prævolat alma gradum.*

*Anna citam lento sequitur gressu atque labore:
Solatur fessam promptula virgo senem.*

*Anna quid in tenerâ miraris virgine robur?
Non humana vides, sed pia signa Dei.*

*Anna soles inopi, & sacris dare munera templis,
Nunc das, quo mulier, plus nihil, ulla dedit.*

*Anna ubi sacratam voluisti degere gnatam,
Claustra libens subiit, virgineamq; domum.*

*Anna piam missura, genas & lumina fletu
Conficis, immotam te tenet altus amor.*

*Anna domum repetas, gnatam dimitte Tonanti,
Nil nisi venturum cogitet illa Jesum.*

*Anna per æthereos volitet tua nata recessus,
Occupet hanc summo culmine missus amor.*

^c Beiss. in Rosario.

An

*An Lex de nubendo intra tribum in viridi
observantiâ fuerit. §. 19.*

Postquam decem tribus in captivitatem Babilonicam abductæ, per regiones Orientis dispersæ fuerant, dominatores quoque Assyrii in Judæâ omnia confudissent, rectè dicit Damascenus, ^a quod cessarit Lex de nubendo intra tribum. Attamen à Maria & Joseph legem zelantibus, observata fuit, ipso Damasceno contestante. Insuper Eusebius Emiffenus ^b asserit: *Neque enim aliter secundum legem conjungi potuissent, nisi de eâdem tribu ambo fuissent, si enim aliquis mihi objiciat, multos de aliâ quoque & non tantum de propriâ tribu duxisse uxores, Respondeo non solum hoc, sed multa alia plerumque contra legem Iudeos fecisse. Joseph verò contra legem agere non poterat, utpote qui justus erat, & Deum offendere in omnibus timebat. Hac autem Lex etsi fortasse non ad plenum ab aliis custodiebatur, ab illis tamen mulieribus custodire necessarium erat, quæ quando Fratres non habebant, parentibus suis in hereditatem succedebant.*

2. Ratio altera, cur magis Zelotes intra tribum Juda nubendo se continuerint, docente S. Thoma ^c & Lansbergio: ^d *Optabant enim omnes, optabant singuli ut de suo semine, suæque familiâ nasceretur Christus, quandoquidem doctio-*

H 4 res

^a Damascen. orat. 3. de nativ. B. Virg. ^b Euseb. in nativ. B. Virg. ^c Thom. 4. scripto dist. 49. ^d Lansberg. serm. 1. de S. Anna.

res noverant, ex qua tribu Christus nasciturus esset: eandemque causam insinuat Rupertus.

3. Tertia ratio, quod mediantibus oraculo divino, & virgæ florescentis miraculo, intra tribum Juda B. Virgo desponsata fuerit, uti §. 21. paulo post sequenti & par. 2. q. 23. sufficienter probabimus.

An Maria fuerit filia hereditans? §. 20.

Petrus Damiani^a Cardinalis serm. de nativ. B.M. Virg. ad hunc modum loquitur: *Libet autem nunc pro edificatione nostrâ, in regulâ divinæ justitiæ parumper radios mentis insigere, & qualiter Deus electos suos deprimi temporaliter sinat atque in æternum extollere decreverit, indagare.* Atque idem Scriptor mox ibidem beatissimam virginem Mariam ante constitutionem mundi, in consilio æternæ sapientiæ electam, ducit in exemplum. Stante itaque hujusmodi temporali depressione consurgit quæstio à Rutilio Benzoni^b mota, quam Eusebius Emissenus hoc complexu verborum resolvit: *Sed fortasse dicis beatissimam virginem Mariam non habuisse hereditatem? Lege ergo in Levitico, & invenies, quod nemo hereditatem suam ex toto vendere poterat, et si usum ejus vendere potuisset, veniente namque Jubileo omnis hereditas ad proprium Dominum revertebatur.*

2. Vc-

^a Surius 8. Septemb. Franc. Feuard. Theor. lib. 10. c. 1. 2. 5.

^b Benzoni, de Jubilæo 1. 5. c. 12.

2. Verum enim verò instabis, quod illa lex de possessionibus in aliam tribum non transferendis judicialis erat, obligans populum Israel solum in terrâ promissionis existentem, & illam terram ut propriam inhabitantem; Ratio est, quia materia illius legis erat terra promissionis, in quantum propria duodecim tribubus inibi existentibus, vel illis data in possessionem; cum autem teste Francisco Ribera,^c decem tribus è captivitate Babilonicâ non redierint in Palæstinam, sicut tribus Juda & Benjamin, quando pridem ante Deus abstulerat Dominium illius regni à populo suo, & transtulerat in Assyrios; unde mutata vel sublatâ materiâ legis mutata quoque vel sublata fuit lex. Cui asserto consonat Gregorius^d Naziancenus in carmine genealogico Christi Græco, ejusque Translator Abbas Jacobus Billius accinens:

Atque itidem Assyria postquam manus impia ferro

Evertit solymas, tunc nec distinctio certa

Servata est tribuum, generis nec sectio prisca.

Ad præmissa hujusmodi respondetur juxta vulgatum illud: ibant quò poterant. Sic ergo S. Joachim in forte tribus Juda hæreditatem non habuit? attamen historiæ consonant quod Joachim hæreditatem habuerit in tribus Zabulon oppidis, Nazaretho ac Sephoro, atque in forte

H 5

tribus

^c Ribera in c. 1. Osee n. 96. Abulens. in c. 2. Matth. q. 38.

^d Nazianc. in carmine de geneal. Christi.

tribus Benjamin, Hierosolymis possederit domum probaticum atque agellum suburbicum, ut tradit Perionius principio vitæ B. Virg. Jam nunc teste Eusebio antea relato *manifestum est, quod beatissima virgo Maria nobilissima heres parentibus suis in hereditatem successerit: siquidem nec fratres habuit. Et quomodo sine hereditate esse poterat, quæ ex nobilissimis parentibus orta fuerat?* Filiam unicam Patris sui fuisse confirmant Azorius Instit. moral. tomi 2. lib. 1. c. 19. & Emissenus §. 19. relatus.

3. Post Theophilactum & Euthimium in c. 19. Joannis, noster P. de Licio^e collimat in idipsum dicens: *Cum ergo Joachim pater virginis, & Anna ejus gloriosa mater, alium filium vel filiam non haberent, ad virginem tota transiit hereditas. Doctor Seraphicus^f contestatur, virginem Mariam domum Nazarethi habuisse, cui consonat P. Salmeron^g in terminis: Nazareth cur Christi Civitas appellatur? Propria Jesu patria Bethlehem erat: sed in suâ peregrinus erat, in alienâ civis. Peregrinus quia ibi non possidebat quidquam: Civis, quia utcunque in Nazareth domunculam habebat; ut & quoque ipse exul videretur, qui exulum reductor venit. Cubiculum etiam Lauretanum in paternis ædibus Joachim & Annæ fuisse Benzoni^hus tradit.*

^e De Licio serm. 32. ^f Bonaventura c. 6. medit. vitæ Christi. ^g Salmeron tom. 3. tract. 43. pag. 404. ^h Benzoni. de Jubil. l. 2. c. 21.

*Modus desponsationis Mariæ cum
Iosepho. §. 21.*

Virginem post teneriores annos in templo sanctè traductos, antiqui Patres docent Iosepho à Sacerdotibus esse desponsatam, quem sponsæ virginitatis fidissimum fore custodem divinitus præcognovissent. Hæc ita SS. Gregorius Nyssenus^a & Joannes Chrysostromus^b & Damascenus,^c quos Simeon Metaphrastes^d & Nicephorus^e sequuntur. SS. Germanus,^f & Epiphanius sortibus cogentibus desponsationem factam memorant, quæ cap. 13. Exegetici plenius descripta reperiuntur. Fuit autem solemne Judæis, ut ante ipsum conjugium sponsa in sponsi ædes traducta aliquamdiu nuptias expectaret, unde quorundam sententia est Mariam Iosepho Hierosolymis primum esse desponsatam, ac deinde vel Iosephi domi vel in Mariæ ædibus familiariter vixisse, priusquam solemnem nuptiarum ritum demore gentis uterque celebraret. *Grande opus fecerunt I Joachimus & Anna cum Mariam Iosepho tradiderunt,* ait Biverus dissert. 3. pag. 594.

7. Modum verò desponsationis Hierosolymis designatæ ex S. Hieronymo & aliis adduxit Exegeticon, quibuscum consentit vetustas Scriptor Honorius Presbyter Augustodunensis

com-

^a Nyssen. orat. de nativ. Domini. ^b Chrysostr. in e. 1. Matth. ^c Damascen. lib. 4. de fide c. 15. ^d Metaph. orat. de ortu & educat. Deiparæ. ^e Niceph. lib. 1. c. 7. ^f German. in Encom. B. Virg. ^g Honorius in spec. Ecclesie fol. 181.

commemorans: Dum sacerdos omnibus puellis nuptias imperaret, & omnibus prono animo obedientibus, hæc sola virgo virile consortium recusaret, Dominam pro hac re consuluit, qui omnes de tribu Juda cum virgis adesse jubet; inter quos dum Joseph cum virga adsuit, virga ejus floruit: Columba cœlitus veniens flori incubuit; hoc viso à mirantibus Deus laudatur, huicque virgo sacra desponsatur. Historiæ hujusmodi descriptæ suffragantur Doctores Scholastici & varii alii Scriptores. Circa quam nonnulli meminerunt figuræ quæ olim præcessit. S. Bernardus sermone *Signum magnum* in Assumpt. B.V. Hanc sacerdotalis virga, dum sine radice floruit, præsignabat. S. Fulbertus Episcopus, ^h historiam plenius edisserit verbis totidem: *Acceptæ sunt à sancto Moyse singule virgæ de singulis tribubus Israel, nominibus earum inscriptæ jubente Domino, & posite in tabernaculo ejus: inter quas una, quæ fuerat Aaronis, inventa est sequenti die germinasse, floruisse, fronduisse & peperisse amygdala. Sciens ergo Dominus hoc opus suum magni esse mysterii, jussit servari virgam ad monumentum. Monebantur enim filii Israel præsentia virgæ, querere sollicitè quid significaret tam mirabile factum, quod longè post aperiens divinus Isaias, Egredietur, inquit, virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet; & requiescet super eum spiritus Domini. Ad hæc verba tanquam auditores ejus dicerent, ô pater Isaias obscure loqueris,*

^h Fulbert. serm. I. de nat. B. Virg.

ris, dic nobis quæso ipsam rem manifestè adiecit claritatem & ait: Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitis nomen eius Emanuel. Filium quoque virginis, id est, Emanuelem præclare describens inquit: Puer natus est nobis &c. Quod ergo Deus designavit miraculo, hoc à secreto Isaias prodidit vaticinio: quod vates cecinit, consequenter rei exitus approbavit. Nam sicut illa virga, sine radice, sine quolibet naturæ vel artis adminiculo fructificavit, ita virgo Maria sine conjugali opere filium procreavit, filium sanè flore designatum, & fructum propter utilitatem.

3. Præterea si legimus id, (ait noster Martinus Doyzaⁱ) quod Patres Ecclesie sanctæ tradiderunt de conjugio Ioseph & Maria, potissimis etiam bonis actum esse perspiciemus; cum enim sanctissima virgo ex templo egredi renueret, ut in matrimonio locaretur, dicens se voto virginitatis perpetuo Deo consecrasset: rem ad Deum detulerunt, qui respondit, ut omnes ex stirpe David, qui uxores ducturi erant, in templo convenirent, inter quos adsuit & Ioseph, cumque omnes virgas in manibus tenerent, sola virga Ioseph floruit, & corporali specie Spiritus sanctus in capite ipsius visus est, & ita sanctissimam virginem in matrimonio habuit. Hæc igitur omnia fratres mente animoque revolvite, primùm quod Spiritus sanctus in ripis Iordanis super caput Christi apparet, Iosepho autem in templo, & utriusque in columbæ specie: in Christo de munditia suâ & ef-

fectus

ⁱ Doyza in festo S. Ioseph.

fectu Sacramenti Baptismi testimonium perhibet, in Ioseph autem prater alia duo etiam testatur eximiam videlicet ipsius puritatem, quam in matrimonio sancto servaturus erat; tanquam beneficii memor Ioseph quam sponsam receperat Spiritui sancto redonat. Et prater ea quod iuxta veriore sententiam Ioseph valde juvenis erat, quando virgini sanctissima nupsit, ita tenet Gerson, nec omnino a veritate alienum esse videtur: sic enim oportebat, ut laboraret, & iter cum virgine sanctissima agere posset, & ut victum ex labore manuum posset queritare, hoc idem Dominus per Prophetam dixisse videtur: Et habitabit juvenis cum virgine, & habitabunt in te filii tui, & gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te filius tuus. O felix Ecclesia, aliquando in te juvenis & virgo simul, in matrimonio sancto, casto & mundo, conjuncti videbuntur, (& glossa hoc de Iosepho & sanctissima virgine interpretatur) scitis quidnam hoc sit? Ioseph juvenis pulcher, & Maria virgo, simul in domo tanta pudicitia florentes habitare, & super aquas maris deambulare, gradi in fornace ardenti absq; incommodo aliquo, & tempore quo canicula viget frigore rigere videbuntur. Et ita sacri Doctores testantur, in beatissimo Ioseph, fomitentem libidinis colligatum fuisse, vel omnino deletum. Christo Domino in vultu persimilis fuit, & ut ipse autumo etiam in complexione naturali, & in donis anima: & post virginem pulcherrimus fuit inter omnes.

omnes. Hæc ille, qui principio memorat rem ad Deum delatam, quod novum non est, nam teste Martino Becano^k præter alia officium Pontificis erat, in rebus gerendis, quæ maioris momenti essent, consulere Deum & ab eo responsum accipere.

4. Desponsationem mediante Oraculo divino, per indicium florecentis virgæ, & columbæ infidentis factam comprobant Hieronymus de ortu Virg. Michael Glycas p.3. Annalium. Ludolphus vitæ Christi p.1.c.3. Mauburnus Roseti tit.24. alph. 56. memb.9. Paratus in festo Concept. Breviaria Romana antiqua in festo S. Josephi ad Magnificat, sed Coloniensia, Augustana, Wormatiensia & alia antiqua in festo Præsentat. Rudolphus Suchensis in hodæporico. Antoninus p.1. historiali tit.5.c.6 §.10. & p.4. summæ tit.14.c.6. §.2. Otto Passauicus in duodecimo sene. Bornius vitæ S. Annæ c.26. Passionale Saxonicum in Annunciat. Speculum redemptionis humanæ pag.13 Episcopus Equilinus in nat B. Virg. Mantuanus tom.2. parthen. lib.2. Badius Ascensius vitæ S. Annæ c.6. Jacobus de Voragine in Legenda de Dominica Annunciatione. Thesaurus stellarium lib.8. p.2. a.2. c.1. Salmeron tom.3. tract.30. pag.235. Beyerlinck p.3 prompt. moral. in festo Præsentat. Joannes Eckius serm.1. de S. Joseph. Carthag. de arcan. Mariæ & Joseph lib.18. homil.ultima § 4. n.1. Jacobus Canisius

^k Becan. hom.3. de Pontif. vet. test. c.4. n.10.

fius meditat. par. 3. §. Leuchtius c. 5. vitæ B. Virg. Joannes Andreas Coppenstein in festo S. Matthiæ, & plurimi eorum qui par. 2. q. 11. n. 4. pro historiâ Joachim testes designantur.

§. *Conjugium ut optimum sit, inter aequales & similes fieri debet.* ¹ *Equalitas enim in utroque venerationem parit, quæ nisi adsit superior inferiori parvi pendit: ideo Dominus, ut Adam in matrimonio conjungeret dixit: Faciamus ei adiutorium simile sibi, Gen. 1. Creatâ autem Costâ, inquit facer textus, masculinum & foeminam fecit eos, hominem ex luto formavit: Evam autem de latere viri, (ut posset dicere æque bona sum ac ille) eos ergo aequales & consimiles in moribus & complexionem creavit, & si equalitas observantiam parit, similitudo conciliaret amorem, qui quidem nisi inter similes nunquam reperitur. Cum autem conjugium istud Joseph & Mariæ à Domino factum sit, qui in rebus quas aggreditur nunquam aberrat. Joseph in virgine sanctissimâ superioritatem quandam habet, tanquam caput ipsius, & simul equalitatem habet in conjugio, & similitudinem maximam cum sponsâ. Qualis igitur erit Joseph si virgine sanctissimâ superior est, quam ut matrem Christus Dominus veneratur, illique subjicitur? Christus Matri suæ subditur, Josepho autem mater & filius subjiciuntur. Si equalitas etiam & similitudo in optimo connubio debent intercedere, sanctus ergo Joseph, virgini quam similis est in naturali*

1 Doyza ibidem.

*rati complexione, & aliquid equalitatis dicit cum
 sanctissimâ Genitrice Dei. O Eximia excellentiâ &
 inauditum praconium! Non tamen ideò suspican-
 dum, Beatissimum Ioseph tam pretiosum quam vir-
 ginem extitisse, nec superioritas ista, de qua modo
 verba fecimus, respectu gratia extitisse, censenda est;
 sed considerandum, quod quemadmodum Rex, quia
 alicujus principis pedagogus futurus est, ideò illum
 illustrat & cohonestat; pari etiam ratione quic-
 quid Ioseph tributum est, ideò fuit, quoniam Maria
 sponsus & Christi Domini pater putativus futurus
 erat: quemadmodum quidquid virgini concessum
 est, ideò fuit, quoniam Dei genitrix erat futura.
 Hoc autem intelligite, quod sicut post Christum fuit
 Maria: ita post Mariam Ioseph. Et D. Augusti-
 nus de S. Ioseph testatur, quod dona gratia ipsius
 maximam proportionem cum donis Mariae retine-
 bant: ipsius enim humilitas, humilitatem virginis
 pra se ferebat; & quemadmodum passim dicere sole-
 mus, sanctissimam virginem, quia Christo Domino
 propinquior fuerit, ideò potioribus bonis abundasse,
 ita etiam Ioseph quoniam Maria vicinior extitit,
 ampliora & uberiora bona recepit. Hinc inter
 Mariam & Ioseph amantissimum amoris vincu-
 lum nascebatur, ex amore autem gaudium per-
 fectum in animâ. Et quoniam in hoc amore nihil
 carnis aut sanguinis intercedebat, ideò fortior, spi-
 ritualior, & delectabilior erat amor. Beatus vir,
 qui habitat cum muliere sensatâ & bonâ, Ec-*

cli. 16. *Felicitas ergo magna est, cum muliere sanctâ & prudenti vitam ducere.* Doyza discursum istum formans incipit ab æqualitate Conjugum, de quâ etiam consuli poterit S. Thomas 2. secundæ. q. 64. ad 3. Quod autem S. Joseph sponsus virginis fuerit sanctissimus & mundissimus, aliaque Desponsationi adfinia, solidè pertractat Themeswarstellarii lib. 8. par. 2.

6. *Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum & haurit jucunditatem à Domino, Prov. 8.* quæ verba Doyza S. Josepho virginis sponso adaptans prosequitur: *Quod quidem in primo sensu de sanctissimâ animâ sponsa loquitur, quam qui invenit & intelligit, eximium bonum invenisse dicitur, scilicet ingenii voluptatem, mentis affectum, & ingens gaudium, quod ex possessione veritatis adinventa emanat. In secundo sensu de carne ipsi subiectâ loquitur, hæc enim tanquam mulier viro subijci debet: si autem hoc adinvenit, thesaurum magnum invenisse censetur homo, & hauriet jucunditatem à Domino inquit Spiritus sanctus. Tertius sensus est de muliere sensatâ, quam qui invenit felicissima fors illi imputanda est, & omne bonum honoris & voluptatis, rei familiaris augmenti, & gaudii in eâ reperit. Estne ergo felicitas, quæ cum felicitate magni patris nostri Joseph conferri possit? Si optima & honesta mulier corona est viro suo, si ex eâ vir omne bonum & jucunditatem exhaurit: Sanctissima virgo quæ angelis multo melior fuit, nonne*

nonne corona viro suo dicitur esse? qui ergo tali corona donatus est, sicut iste sanctus, quâ felicitate possit dicitur? quisnam tale bonum, quis tale gaudium & iucunditatem invenit? Osorius concione de S. Josepho coincidit.

7. S. Vincentius^m auctor est, quod Maria pulchra & nobilis, cum summâ reverentiâ & honore loquebatur sponso suo Joseph. Simon de Cassia super verbis: Pater tuus & ego dolentes quærebamus te sic commentatur: *Defert humilis virgo viro; quem in loquendo preponit, seque preposterat, ut sæpè de ipsâ diximus, quoniam omnium bonorum atque virtutum est norma, ut discant mulieres suis deferre maritis, & non solum in aliis, sed etiam in loquendo præferre.*

8. Josephum Cotonius pius contemplator alloquitur dicens: *Si vel colloquia audiremus, quæ noctu & interdum cum seculorum magistrâ sanctâq; conjugæ tuâ miscebas, & in primis ecquæ ejus essent responsa, cum tuam ipse anxietatem apud illam accusares: quomodo vicissim ipsa dixerit, quàm sibi grave & molestum fuerit te hujusmodi in angore constitutum vidisse, & cum Deo ipsa egerit, ut ex hac te perplexitate educeret. An non tum ipsa te petente, sanctissime sponse, sigillatim quænam angelus sibi nunciasset, qualis verbi conceptio fuerit, qualiter à Spiritu sancto visitata, exposuit? quomodo & quam ob causam ad eundem cognatam ab ipso facultatem perisset, quid sibi ab Elizabetha dictum*

1 2

fuis-

^m Vincent. serm. 2. in Pentecost. ⁿ Coton. medit. 4. in fine.

fuiſſet, quid trimeſtri apud illam egiſſet, quid in
 Joannis Nativitate & Circumciſione accidiſſet,
 quid opus eſſe didiciſſet ad infantem recens natum
 recipiendum, qua lintheamina, qua fascia, qua cune
 illi eſſent neceſſaria, quem ipſa utero geſtabat: quo-
 modo nullam in fetu geſtando moleſtiam aut in-
 commodum ſentiret, & quantum temporis ad par-
 tum reſtaret, ex omnibus hiſce aliis que ſermonibus,
 qua tenera noſtra & humana intelligentia compre-
 hendere nequit. Accedente imprimis verâ & reali
 rerum a deo magnarum poſſeſſione; an non colligere,
 Joſeph fili David, poſſumus tuam in terra conver-
 ſationem divinam, magis quam humanam fuiſſe?
 teque & Mariam duo in terrâ fuiſſe Seraphinos vel
 mutuò ad Sanctum Sanctorum, quem penes vos
 pignus habebatis, quocum continuo agebatis, & a
 quo puriſſimam cœli ſubſtantiam vos exſugebatis,
 interim dum terrenam à vobis ipſe acciperet, co-
 lendum & glorificandum provocantes? Beate
 Sponſe, Beator Mater, & Beatiffime Fili, an non
 hoc ab uno in gratiam ſperem alterius, me ut in ve-
 ſtram protectionem accipiatis, & cor meum tota-
 liter totum vobis & totum unicuique veſtrum con-
 ſecretur, eâ tamen præſuppoſitâ ſemper affectus mei
 differentiâ, juxta maximam differentiam, qua in
 veſtris tam eximiis qualitatibus relucet. Concede
 dulciſſime fili in matris tue gratiam, charitatem,
 tu verò ſanctiſſima Virgo in filii tui gratiam impe-
 tra puritatem, tuque theſaurorum ineffabilium
 cuſtos, perfectam mihi obtine obedientiam, quâ cum
 præ-

praeceptis, tum consiliis & inspirationibus paream
ejus, qui in te pra reliquis creaturis tantâ tamque
eximia charismata & gratias effudit. Bultensis
familia.

9. Lansbergius: ° B. Virgo non modo vehe-
menter amavit, sed etiam precipuâ in veneratione
habuit eum, cui pra cunctis mortalibus id à Deo
honoris delatum cernebat, ut filii ejus custos & nu-
tricius esset. Quis verò cogitare sufficiat, quam
ignitas pro illo ad Deum preces saepe fuderit, quan-
tumque iisdem suis precibus illi profuerit apud
Deum? si enim virginem sacratissimam omni gra-
tiâ & virtute plenam fuisse credimus, qui fieri pos-
sit, ut cum continuis uteretur beatissimi Josephi ser-
vitiis, non rursus illi quidquid potuerit, prestite-
rit, maximè apud Deum ferventissimè pro illo ob-
secrando, ut Deus in illo sua dona magis ac magis
augmentaret. Jam si diligenter perpendas ipsum tam
diuturno, eoque perpetuo & admodum familiari usum
tanta virginis & ipsius quoque filii Dei contuber-
nio, habes nimirum rationem efficacissimam, quâ
etiam cogaris credere in omni virtute indies miri-
ficè eum profecisse, ac summè perfectum fuisse. Sicut
enim cum sancto sanctus eris, & cum innocente in-
nocens eris, (Psal. 17.) quomodo ille non sanctissimus
& innocentissimus habendus est, qui cum sanctissi-
mis & innocentissimis puta matre Dei & filio Dei,
cui usque ad ultimum spiritum, ut pater officio, &
nutricius beneficio convixit, assiduè versatus est?

13

Porro

° Lansberg. in festo Innocent.

Porro si attendas eundem Dei filium, eidem Reverendissimo Viro & Beatissima Patriarcha semper promptissime obtemperasse, ac ei ceu patri reverenter detulisse, sepius quoque eum dulcissime amplexatum fuisse; (hæc enim pia mens liberè secum cogitare potest) omnino sentias oportet, non potuisse non summo eum divinitatis amore accendi, qui tanta, tam stupenda & cunctis inaudita seculis in se experiretur beneficia Dei. Denique si omnipotens Deus ei, quem ad aliquem statum vel officium eligit, etiam cuncta gratia sua dona, illi vel statui vel officio necessaria, infundit, hunc autem Josephum ad tantam elegit dignitatem, ut filii sui patrem eum secum vellet haberi, efficax hinc ratio sumi potest, summis eum & præclarissimis virtutibus ornatum fuisse. Non enim decessisset talem ac tantum filium, patrem quamvis putatitium se indignum vel saltem minus dignum habere. Hujusmodi Lansbergii finali clausulæ consonat Damascenus inquiring: *Dignitas magna hæc concessa fuit Josepho, singulari Dei dono, ut per dispensationem omni sermone præstantiorem, fieret virginis sponsus.* Copiosissime Carthagena de arcanis Mariæ & Joseph lib. 18. homil. ult. §. 6. n. 30 & seqq.

10. Hispalensis Ecclesiæ vetustus in festo S. Josephi hymnus sic habet:

*Hunc diem totum celebrem per orbem
Virginis Sponsi veneremur omnes,*

Turba

p Damascen. orat. 3. de nativ. Mæx

*Turba caelorum simul & beata
Concinat hymnos.*

*Conditor mundi pius & Redemptor
Conjugem Matri statuit pudicum,
Ejus ut custos foret atque testis
Virginitatis.*

*Tempus ut plenum fuerat salutis,
In virum Ioseph datus est Mariae
Ex tribu Iudae veniens ab alto
Sanguine Regum.*

*Statura, dispositio & decor Virginis Iose-
pho desponsatae. §. 22.*

Statura tua assimilata est palma, Cant. 7. legi-
tur, quod sacratissimæ virginis staturæ cor-
porali etiam commentatores adaptant. Virgi-
nis filius Christus, ut S. Anselmus libro de simi-
litudinibus sive imagine mundi cap. ult. testatur,
fuit proceræ ac mediocris staturæ. Nicephorus
l. i. c. 40. scribit corporis staturam fuisse ad pal-
mos prorsus septem. Palmus scilicet major, do-
cente Calepino, digitos 12. continet, & hic se ex-
tendit ad longitudinem pedis mensuralis Fran-
cofurtensis, qui per orbem communior est. Jam
nunc cum humanitatem Christus à solâ matre
assumpserit, hujus etiam exinde staturam metiri
licebit. Siquidem *omnis generatio à generante se
non est aliena*, ut ait S. Hilarius lib. 9. de Trinit.
circa med.

2. Qualis autem fuerit corporalis dispositio seu species, de virgine in Evangelio non legitur, sicut nec de Christo. Ratio: Cum Christus & eius mater fuerint dati in speculum salvos faciendi fideles, noluerunt à talibus laudari, quorum inordinatus appetitus esse solet multis causa peccandi: potest tamen resolutio per locum à majori inferri, nam ut S. Damascenus ait, Virgo beatissima à nullo illustrium vincitur, (ut principio cap. 12 in Exegetico deductum est) quicquid enim pulchritudinis fuit in aliquo sanctorum, ipsi non fuit negatum, ut dicit Nicephorus lib. 2. cap. 23. Albertus super Missus est & S. Epiphanius in tractatu de venerabili Maria, dicit quod fuit longitudine trium cubitorum, longas manus & longos digitos habens, mediocri naso, longo vultu, frumenti colore in cute, (id est, albo & rubeo) crinibus subnigris, flaveis oculis, nigris superciliis, quæ omnia ostendunt ejus pulchritudinem cum aliis in exegetico descriptis.

3. Si lubet ulterius cum S. Antonino recurrere ad figuras principio hujus tractatus introductas, mox resultabit cum jubilo epithonema animum suavissimè feriens hujusmodi: *Viditque Deus cuncta quæ fecerat & erant valde bona.* Sanè Deus beatam virginem benè fecit quantum ad corpoream constructionem: Fuit namque benè composita quantum ad humores, & quantum ad partes essentielles, & quantum ad mores. Primò quantum ad humores, nam omnis homo ex qua-

quatuor humoribus naturaliter componitur, ex quibus ad diversitates inclinatur: Sed corpus Virginis sic fuit benè dispositum ac divinâ virtute complexionatû, quod non fuit in eâ aliqua inclinatio ad vitium; In cuius signum etiam accipere licebit illud 3. Reg. 10. *Fecit sibi Rex Salomon thronum de ebore grandem.* Secundo benè fuit composita quantum ad partes essentielles: quælibet enim persona componitur ex corpore & animâ, inter quæ est continua pugna, quia caro vult delectari in temporalibus & sensibilibus, Anima verò in spiritualibus & cœlestibus, & hæc est pugna à qua procedunt omnia mala: propter quod clamat Apostolus ad Rom. 7. *Video enim aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis mee: Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?* Sed B. Virgo benè fuit composita, quia nulla fuit in eâ pugna: Nam fomes in eâ fuit extinctus, ita quod inde non potuit inclinari ad malum, in cuius signum dicitur Genes. 8. quod omnia animalia fuerunt pacata in arca Noe: per arcam enim in quâ humanû genus fuit salvatum significatur B. Virgo, quæ fuit habitaculum Salvatoris, in quâ omnes motus fuerunt pacati & rationi subiecti. Tertio fuit benè composita quantum ad mores: fuit enim quoddam exemplum sive speculum omnium mulierum, videmus namque, quod omnia quæ fiunt, fiant ad exemplar, ut patet in artibus: nam Scriptores & pictores ac alii in singulis operibus artifices ad exem-

plar respiciunt, propter quod dicit Dominus ad Moysen Exod. 27. *Omnia fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est, & Philosophus 8. Metaphysices dicit quod domus facit Domum, id est domus quæ est in lapidibus fit ad exemplar domus, quæ est in mente artificis, & secundum hunc modum posuit Dominus B. Virginem tanquam quoddam universale exemplar, ad quod omnes Christiani possint vitam in moribus regulare, & in eam tanquam in speculum mundissimum inspicere.*

4. Jacobus de Clusa^a tractans de B. Virgine: *Credimus enim, ait, corpore, facie, manibus, pedibus & cæteris membris fuisse, pulcherrimam, tanquam à naturâ & parentibus nobilissimis & sanctissimis conceptam atque natam. Solet enim pulchritudo parentum in filios derivari, quia sequitur patrem sua proles. Nec mirum de pulchritudine corporis Mariae, ex quâ speciosus formâ præ filiis hominum nasci deberet, quod etiam Spiritus sanctus, & Gabriel, qui eam susceperat in sui sanctissimam gubernationem, hoc sacratissimum corpus quasi in circino & ornatissimis dispositionibus decorarint: secundum enim Philosophum animæ sequuntur corpora, ubi corpus bene dispositum facilius est capax virtutum; sed in proposito magis digna præconizatur, quo ad supremos status virtutum, quæ in nullo tanquam puro homine creduntur tam eminenter claruisse: Nam ipsam Spiritus sanctus*

^a De Clusa serm. 2. de Concept.

sanctus Cant. 5. dignificans, appellat pulcherrimam mulierem. Pulchritudo verò prærequirit mundiciem. Nam nullus immundus potest dici pulcher: pulchritudo enim est optima dispositio subiecti, omnem excludens difformitatem. Unde quædam sunt pulchra, sed non integraliter. Nostra verò insignissima virgo, prædicatur hic tota pulchra, cui nullus gradus pulchritudinis defuisse creditur, & omni tempore vite virtutes quasi secum innatas habuisse non dubitatur, atque secundum S. Hieronymi sententiam ceteris Sanctis per partes, B. verò Virgini se tota infudit plenitudo virtutum, in quibus anima cognoscitur pulchritudo. Erat ipsa vas auri solidum (Eccli. 49.) ornatum omni lapide pretioso, in quo vase Dei filius recondendus erat.

§. Requisita pulchritudinis tangit Medina: b Verum quod beatissima Virgo multiplici pulchritudine excelluerit, tradunt Idiota Contemplat. c. 2. pag. 28. Tomi 10. bibliothecæ Patrum. Antonin. 4. p. summæ tit. 14. c. 3. §. 3. & tit. 15. c. 10. §. 2. Robertus de Licio serm. 32. Bernardinus Bultensis Marialis parte 2. serm. 4. Mayronius serm. 2. & 3. de B. Virgine. Themes war stellarii lib. 1. p. 2. a. 3. c. 1. lib. 5. p. 2. a. 2. c. 2. & p. 3. a. 2. e. 1. Lansbergius serm. 1. in nat. B. V. edit. 1545. Colon. Franciscus Titelmannus psal. 44. v. 3. Henriquez lib. 3. c. 11. §. 4. Carthagenæ de arcanis Mariæ & Josephi lib. 1. homil. 5. Sixtus Senensis in bibliotheca & Adrianus Moerbeccius scælæ purpureæ gradu 1. col. 1.

6. S. Ber-

b Medina in 3. part. D. Thom. q. 14. circa fine

6. S. Bernardinus^c Senensis noster, de gloriosâ Virg. scripsit: *Adverte quod hac benedicta puella, tantam perfectionem attulit universo, quod ulterioris perfectionis non est capax, nec Deus potest ipsam perficere ulteriori perfectione.* Ita & noster Joannes de la Haye arboris vitæ c. 1. Genes. v. 31. n. 792. de pulchritudine quidem similia alii loquuntur, quæ tamen modificantur in Jodoci à Castro Decachordi pag. 135.

7. Equidem quod virgo Maria admirabili hujusmodi pulchritudine refulgens, nullum ad lasciviam provocarit, quin & motus libidinis refrenando, castitatem contulerit testantur Aletis & S. Bonaventura c. 12. Exegetici relati: quibus adstipulantur S. Bernardinus de Evangelio æterno serm. 51. c. 1. Gerson. p. 3. serm. de nativ. B. Virg. & p. 4. in epistolâ de festo S. Joseph. Episcopus Bitontinus doctissime in festo Assumpt. Henriquez ubi supra. Themewarstellarii lib. 5. p. 2. a. 2. c. 3. & lib. 8. a. 3. c. 9.

8. Decorem morum S. Epiphanius^d expressit & Ambrosius, quibus ita excelluit, ut per antonomasiam ab Ecclesiâ virgo virginum celebretur. S. Ambrosius^e ipsam imaginem virginitatis inscripsit, quasi ad ejus virginitatem aliarum virginum castitas debeat regulari, & ob hoc virgines mente & corpore specialiter diligit & custodit, unde refert^f S. Gregorius de Mosâ
puel-

^c S. Bernardin. ^d Epiphan. apud Niceph. l. 2. c. 23. ^e Ambros. l. 2. de Virg. tom. 4. ^f Gregor. 4. dial. c. 18.

puellâ, quod quâdam nocte B. Virgo se, & coævas sibi puellas in albis vestibus, ostenderit, quibus cum illa se admiscere vellet nec auderet, requisita est à B. Mariâ, an in consortio illarum vellet vivere, & cum diceret illa volo, mox mandatum illa recepit, ut nil ultra leve & puerile ageret, à risu & jocos abstineret, sciens per omnia quod inter easdem virgines die tricesimo viveret: postquam visionem puella in omnibus suis moribus fuit mutata, parentes verò ejus quæsierunt ab eâ causam, & ipsa respondit de visione, & quo die veniret ad obsequium Mariæ, deinde febrile cepit & die 30. horâ mortis suæ B. Virginem cum puellis, quas prius viderat ad se venire vidit, cui se vocanti respondit: Ecce ô Domina venio, in quâ voce emisit spiritum, cum sanctis virginibus in æternum victura. Laudes morum Mariæ fufius deduximus in Exegetico, & ulterius consuli possunt S. Damasc. orat. 1. de nat. Mar. S. Bernardus Abbas serm. 45. in cantica. Ludolphus p. 1. c. 2. Mauburnus Roseti tit. 24. Alphab. 56. memb. 8. Franc. Costerus medit. 3. de præsentat. Abrahamus Bzovius Panegyrico 3. de Præsent. B. Virg.

9. Bernardini Bustensis eruditi metro in epistolâ ad Sixtum IV. huic paragrapho coronidem imponamus:

*Nulla fuit tanto mulier redimita decore,
Quæ speciem superet virgo Maria tuam.*

Can.

Candidior niveo rutilas Regina colore,

Et radiis cedit clara Diana tuis.

Luna suum perdit tecum sociata nitorem,

Atque comes nullum Sol tibi lumen habet.

Occasione poematis præscripti admonemus Græcos subfulco seu triticeo colore delectatos, candidissimam virginem taliter adumbrasse, cui opinioni refragantur P. Bonifacius virginalis historiæ lib. 1. c. 7 & Carthagenæ loco citato n. 19. Candori adstipulatur Bustensis par. 2. Marialis ferm. 4. par. 3.

Iosephi sponsi Encomia. §. 23.

SI verum est certò quodam pondere, numero & mensurâ omnia à divinâ providentiâ fieri (ait Petrus Cotonus^a) sequitur haud dubiè, eam Iosephi sanctitatem fuisse, ut eâ nullus tempestate, illi meritis par aut equalis esset, cum solus ipse in filii Dei nutricium & verum sanctissimæ matris ejus conjugem selectus sit; & sanè communis Doctorum sententia est, omnibus illum Sanctis qui præcesserant gratiâ præstitisse: majori siquidem illum innocentiam fuisse quam Abel, majori pietate quam Enos, majori prudentiam quam Noe, majori obedientiam quam Abraham, majori spe quam Isaac, majori patientiam quam Jacob, majori castitate quam filius ejus Joseph, majori cum Deo familiaritate quam Moyses, majori erga populum amore & affectu quam Samuel, majori humilitate &

^a Cotonus medit. 4. fructu 1.

mansuetudine quam David; quodque singulare est, illum iuxta nominis sui significationem, & Prophetæ vocem, meliorationes & ascensiones in corde suo fecisse, de virtute in virtutes eundo, donec videret Deum Deorum in Sion.

2. Easdem ob causas (citatus auctor continuat) putarunt nonnulli Joseph in utero matris sanctificatum fuisse, usum rationis illi acceleratum, singulari illum revelatione à Mariâ in conjugem delectum, non fuisse tunc quidem senem, sed justâ ætate, simili ipsum voto virginitatem suam Deo vovisse, Jesum Christum facie illum retulisse, ad usque manifestationem & primum predicationis verbi annum, tricesimum scilicet vitæ ejus, vitam extendisse, oculos illi à Christo oclusos, filium & Mariam lugubres in funere ejus vestes induisse, unâ cum aliis plurimis Domino moriente resuscitatum, cum Mariâ conjugem interim fuisse illam consolando, donec filius ejus charissimus resurgeret, Christum apparentis pene semper socium ac comitem fuisse, unâ cum corpore denique & animâ cum ipsâ in die ascensionis in cælis sublatum, adeo ut hodie non nisi tria cælo contineantur corpora, ipsum Redemptoris Jesu, sacratissimæ ejus Matris, & conjugis illius Josephi. Etsi verò horum pleraque ab Ecclesiâ credenda non doceantur, certum tamen est illum justum fuisse, eâ inquam justitiâ, quæ omnes complectitur virtutes, habituumque omnium laudabilium complementum denotat, justitiâ quæ mediis in tentationibus & adversis

illum

illum in officio retinebat, quæ certitudinem illi virtutis, ac culpæ apparentiam ostendebat.

3. Ex Petro Bessæo Joannes Andreas Coppenstein^b scribit: Cherubinus est Joseph inter viros, tantus quantus B. V. Maria inter mulieres benedicta, quod mater sit Christi, is quod pater sit ejusdem. Pares ambo natalibus regiis, similes & donis spiritualibus. Hoc potissimum nixus fundamento Gerson docuit, quem & sequuntur plures, scilicet S. Josephum sicut Jeremiam, ab utero matris sanctificatum fuisse, inque gratiâ confirmatum, ut vel istô aliquanto similior foret Deiparæ sponfus. Sanè S. Augustinus & Rupertus Abbas ajunt nunquam eum mortale delictum commisisse, in quo superior Apostolis, proximus fuit Deiparæ. S. Hieronymus est auctor, eum perpetuam conservasse virginitatem sunt qui die Ascensionis eum cum animâ & corpore surrexisse, cælosque petiisse dicant. Hoc constat quod Joseph justus fuerit. S. Elisabethæ magnus honor, quod visitata semel à S. Mariâ, magnus S. Joanni Evangelistæ, quod ipsi Dei commendata parens, major ab utroque, S. Josepho honor obvenit.

4. Sanctificationis in utero Josephi meminerunt præscripti Cotonus, Bessæus, & Coppenstein; sed & Recens auctor germanicus, pro eadem sententiâ adducens ex Isodori summâ, exempla Jeremiæ & Joannis, concludit à minori

ad

^b Coppenstein in festo S. Joseph.

ad majus, justificando ejusdem sententiæ assertores Gersonem, Jacobum de Valentia, Vellegas & Paulum Barry; quibus, si placet, addi possunt Joannes Major in c. 1. Matthæi. Gabriel Biel in supplemento, dist. 30. q. 2. Bustensis Marialis parte 4. serm. 12. Salmeron tomo 3. tract. 28. pag. 244. Joannes Eckius homilia 1. in festo S. Joseph, Angelus del Pass. tom. 1. in Luc. lib. 2. cap. 24. Vega in festo S. Joseph: & Carthagena de arcanis Joseph & Mariæ lib. 18. hom. ultima. §. 1. & alii multi gravissimi, quos ipse recenset. Et quidem Salmeron demonstrat disparitatem inter sanctificationem Mariæ & Josephi. De æqualitate connubiorum argumentum præcessit supra. Unde advertendum, quod sit quædam æqualitas geometrica, adeò ut major turris det majorem umbram, minor autem turris minorem, cum sua cuique sit sufficientia gratiæ à Deo, dedit & Josepho gratiam parem suæ vocationi. Quænam illa & quanta, esse sponsum Matris Dei, nutrimum Christi? de quibus ex Bessæi Nucleo Andreas Coppenstein in festo S. Josephi par. 1.

5. VIRGO S. JOSEPHUS permansit juxta SS. Patres par. 2. q. 6. n. 3. carptim relatos: quam illustrem prærogativam plenius comprobant Themeswar stellarii lib. 8. p. 2. a. 3. c. 4. Bustensis ubi supra. Eckius ubi supra. Salmeron tom. 3. tract. 30. pag. 234. Aloysius Episcopus Veronensis in vitis SS. edit. 1571. Louan. par. 1. pag. 253. Tole-tus annotat. 18. in Joannem. Vincentius Regius

K

Dila-

Dilucid. Evangel. lib. 1. c. 5. digress. 4. Tornicell. A. M. 4050. n. 5. Angelus del Pas. tom. 1. in Luc. lib. 2. c. 24. Cornel. à Lapide in proæmio epistolæ S. Judæ. Doctissimus Cardinalis Petrus Damiani^e olim acclamavit: *Et ne hoc sufficere videatur, ut tantummodo virgo sit mater. Ecclesia fides est, ut virgo fuerit & is, qui simulatus est pater.*

6. Josephum Patriarcham Pharao, Genes. 41. fecit ascendere super currum suum clamante præcone, ut omnes coram eo genuflecterent, ut conservatore, &c. Justior hic honor debetur nostro Josepho nutricio panis, qui de cælo descendit, Joannis 6. Is omnino est Matth. 25. Fidelis servus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam, Matrem scilicet & filium. Gen. 41. *Nunquid sapientio rem & similem tui invenire potero? quare tu eris super domum meam, & ad oris tui imperium cunctus populus obediet,* qui enim Deiparam ac Jesum subditos fecit Josepho, quomodo non simul subjecit ei universos eisdem subditos?

7. Tituli triumphales S. Josephi prope innumeri sunt, atque ut cupidus Lector facili negotio haurire possit, quod volet, recurrat ad peculiaria festa S. Joseph in veteri Breviario Romano, & Ordinis Prædicatorum anno 1516. Parisiis edito: similiter consulantur Cardinalis Cameracensis, & Parisiensis Cancellarius, de quibus mox loquemur: Bustensis Præmemoratus, & Themefwarstel-

• Damiani epistola II. c. 4.

stell. lib. 1. p. 2. c. 11. par. 6. a. 3. & lib. 8. p. 2. a. 2.
Salmeron tom. 3. tractatu 30. Georgii Bartholdi
Pontani bibliothecæ tom. 1. pag. 63. 105. 533. &
seq. Andreas à Soto lib. de S. Josepho: Biverus
dissert. 3. pag. 604. Osorius in festo S. Joseph.
Carthagena de arcanis Mariæ & Joseph. lib. 4.
hom. 11. lib. 9. homil. 4. & 7. lib. 18. hom. 14. & 15.
Eum Prophetam vocari posse, docet Abulensis
q. 57. in c. 1. Matth. Hanswick tom. 1. cornuco-
piæ enarr. 2. sect. 27. comparat ipsum Angelo.
plura habet R. P. Paulus Barrii edit. Gall.

8. Trecentis retrò annis S. Josephi nutriciù
Christi duodecim honores eminentes, calamo
illustravit Petrus de Aliaco ex studii Parisiensis
Cancellario, Cameracensis Episcopus, S. R. E.
Cardinalis. Fælix ei in doctrina discipulus & in
Cancellariatu successor Joannes Gerson, Ordini
Cælestinorum Lugdunensis Monasterii an-
tea Prior, in S. Josephi cultu plus ultrà profecisse
reperitur eodem seculo, sed & in Germaniâ exi-
stens (anno 1419. sexagenarius, fasciis mortali-
tatis exutus) paulò ante, ceu funeris cantator
cygnus, ducem securum præligens, Josephinam
metro condidit: varia quoque alia gloriosa de
eodem scripsit, ardentissimis votis desiderans, ut
universalis S. Josephi cultus in Ecclesia Dei in-
troduceretur. Idem factitarunt Robert. de Li-
cio, Jacobus Perez, Isidorus Isolanus Ord. Præ-
dicatorum, librum, S. Bernardinus sermones, at-
que Trithemius Rosarium & Missam de S. Jose-

pho composuit, libro uno qui incipit: *d Magno sepe desiderio statui.* In idipso collaborarunt Robertus de Licio & Perex.

9. Arturus à Monasterio^e de S. Josephi festo annotat: *Hunc Christi Domini nutricium, singulari pietatis affectu semper veneratus est noster Ordo Seraphicus, & in Capitulo Generali Monachiensi in Bavaria anno 1399. seu Assisi in Umbria decretum est, ut festum celebraretur S. Joseph, sponsi illibati Virginis intemeratae Mariae, sub Officio Confessoris novem Lectionum.* Ita *Vadding. in Annal. Minorum ad annum 1399. §. 7.* In Capitulo autem Generali Salmanticensi anno 1461. statutum fuit, ut die 19. Martii huiusmodi festum ageretur; postea anno 1490. id festum inter duplicia minora collocatum est; iussu Capituli Generalis Balmerensis prope Andegaviam: imo & inter majora duplicia connumeratum per Reverendiss. Patrem Raynaldum Gratianum Ministram Generalem totius Ordinis. Vide speculum FF. Minor. & Firmamentum trium Ord. tract. 3. de Ordinationibus circa Offic. Divinum. Desponsationis festum celebre manet in sacro Ordine Annunciationis B. Mariae, & in Galliis, ubi & annulum sponsalium virgini à Josepho traditum, religiosè asservari ad XI. Cal. Augusti in Supplemento Martyrologii Gallicani Andreas Saussaius memorat.

10. Patrocinium Josephi efficacissimum, Diez
d VVion lib. 5. c. 85. e Artur. in Martyr. Francisc. 19. Martii
VVadding. 1480. II. 41.

Diez^f sic concludit: Exod. 40. iussit Deus duos Cherubinos poni supra propitiatorium, quod quidem Redemptorem nostrum significabat, quia, ut ait S. Joannes, *ipse propitiatio nostra pro peccatis nostris*. Duo autem Cherubin supra illud positi fuerunt, S. Joseph & virgo sanctissima, Cherubini puritate & cœlesti contemplatione. Nullus unquam filius adeò fuit parentum suorum voluntati obediens, ut Christus Redemptor noster Josepho & Mariæ. Josue 10. c. Cum Sol Josue orante stetit, ut rem novam sacra Scriptura dixit: *Obediente Deo voci hominis*: Christus autem verus homo, semper dum vixit in hac mortali vitâ sancto huic viro obtemperavit; plurimi namque Doctores sancti eum tempore passionis adhuc vivum fuisse adfirmant, g Hieronymus, h Augustinus, i Ambrosius, k Chrysostomus, l Cyprianus, m Gobelinus Persona olim Bilifeldiæ Decanus, & Carthagena de arcanis Mariæ & Joseph lib. 18. hom. ult. §. 7. n. 7. Causa autem cur in cruce matrem suam sanctissimam dilecto discipulo commendaverit, fuit ut divus Joannes qui juvenis erat, ei & sancto ejus sponso unam serviret. Quod si in hac vitâ tanto eum honore affecit, quantò in cœlesti gloria affecisse credemus? Si Christus dixit: quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ

K 3

tan-

f Diez in festo S. Joseph. g Hieronym. s. Heluid. de virg. perpet. Mar. h August. serm. 21. de tempore. i Ambros. l. i. in Luc. & lib. de instit. Virg. k Chrysost. hom. super Matth. l Cyprian. serm. de pass. Christi. m Gobelin. in 6. statis millenario c. 6.

tantum in nomine discipuli, Amen dico vobis, non perdet mercedem suam: quoniam præmio eum remunerabit, qui tot annos vitæ illi alimenta proprio sudore suppeditavit? si is qui recipit justum in nomine justî, Matth. 10. c. mercedem justî accipiet, qui justorum Domino tanto cum amore recepit, quânam mercede dignus erit? Quapropter cum tantum sanctus hic vir in cœlo possit, humiliter nos ejus patrocinio dedamus, ut divinam nobis gratiam impetret, quâ tandem proficiscamur ad gloriam Collimant in idipsum Gerson in Josephinâ, Eckius in homiliis, Gratianus Carmelitanus lib. 5. de S. Joseph. Fabri Auctarium in festo S. Joseph themate 2. plura invenies apud P. Barry.

II. Sic olim etiam Christianis consuluit, Bernardinus de Busto his vocibus resonans: *O devoti Christiani habete nunc sanctum in devotione, quia ei multum sumus omnes obligati & c. qui vult aliquid à Deo obtinere accipiat Beatum Joseph pro advocato suo apud virginem benedictam sponsam ejus: & Beatissimam Virginem apud filium suum, & Dominum Jesum ante Patrem cœlestem & omnia impetrabit.* Beatam Virginem Mariam & S. Joseph itinerantes invocent, qui bonum hospitium desiderant; super hoc Joannes Gerson ponit exemplum in fine suæ Josephinæ metricæ accinens: *Nuper in austerâ vir religione probatus, dum peragrabat iter prope finem noctis*

opaca;

a De Busto par. 4. Marial. serm. 23.

opaea, ventis & pluviâ simul ac ex rore viarum turbatus, vestri meminere Joseph atque Maria, orans hospitium mox villa petita patescit. Possumus hoc signo portum sperare salutis. In agone ultimo luctantibus Joseph aptissimè tutelaris colitur.
 o Antonius Beneficiatus Concionator celeberrimus, & Doctor Regens in Universitate Valentiniâ Hispanicâ, famâ sanctitatis Patrum nostrorum Discalceatorum illectus, in vicino Conventu institutum Seraphicum amplexus est, cum ingenti Procerum, Optimarum, Nobilium, Canonicorum, Clericorum ac Scholarium universitatis concursu: Cognomen à S. Joseph elegit, quem patronum coluit, Morum sanctitate brevi excelluit, post multos bonorum operum fructus per mensem Valentia decubuit, & sacratissima nomina, JESUS, MARIA, JOSEPH, crebrius invocans, cum sanctitatis odore, suavissimè obdormivit in Domino.

12. Concinamus hymno veteri: *P Carnis servans mundiciam, fragrasti quasi lilium: stolam amplexus regiam cursus cepisti bravium. 2. Tu sis nostrum refugium, tu robur potentissimum, tu salus & protectio, nostraque jubilatio. 3. Ope gubernas fragiles in hujus mundi pelago, atque exutos corpore, nos omnes semper suscipe. 4. Nos ergo sponse virginis rogamus, Joseph, supplices, Conatus castos perfice, & à reatu ablue. 5. Procul à nobis subdulus, te postulante, que sumus, abscedat anguis, lubri-*

K 4

cus

o Arturus in Martyr. pridie Kal. Decemb. p Brev. duo p x allegata.

cus hostis salutis omnium. 6. Coelestibus ut gaudiis, nos ex tuis suffragiis, conjungat una Deitas, sed in personis Trinitas.

Ortus nepotis Ioachim & Anna.

§. 24.

JESU CHRISTI NATIVITAS, Virginis Matris desponsationem consequitur. Ordinem, processum, & fructus S. Damascenus^a præconiis eximiis concelebrat dicens: *Quod fuerit virginis nativitas, festorum antea ambulo, mysterii Christi præludium.* Oportebat enim prius palatium parari atque ita Regem adesse. Oportebat prius regionum incunabulorum fascias contexi, atque ita demum reginam infantem in lucem edi. Denique prius oportebat argillam misceri, ac tum figulum præsto esse. Merito proinde vir divinus Ioachim, & Anna ipsius uxor, divinâ providentiâ vocati, precationis fructum perceperunt, (virginem Mariam) naturæ Reginam, ac nostræ massæ primitias. ^b Jam quod nobis cognatum est, deificationis initium sumit. ^c Fausta omnia tibi sint, o veneranda probarica: incrementum sumat tua gratia. O sanctissima Ioachim & Annae filia, quæ principatus ac potestates fefellisti, atque ignea maligni tela extinxisti, quæ in spiritus thalamo versata es, atque immaculata conservata in Dei sponsam! O sanctissima filia mulierum ornamentum! O terrena filia, quæ Dei genitricibus ulnis Creatorem gestasti! Sanè res omnes

^a Damascen. orat. 3. de nat. B. V. in fine. ^b Idem orat. 1. in fine.
^c Ibid. fol. 369. & 370.

conditas dignitate antecelluisti. Ex te enim solâ sum-
mus ille opifex partem assumpsit, hoc est, *Massa no-*
stra primitias. Caro ipsius ex carne tuâ, & sanguis
ex sanguine tuo, & lac e mamillis tuis suxit Deus, ac
labia tua Dei labiis unita sunt. O miracula, mentis
caprum atque orationis facultatem excedentia!
Vinea uberrima ex Annâ pullulavit, atque uvam
suavissimam protulit, nectâr mortalibus fundentem
in vitam eternam. Fiduciam terra concipiat, &
filii Sion gaudente in Domino Deo vestro, quia ger-
minavit desertum, sterilis protulit fructum suum.
Joachim & Anna tanquam spirituales montes dul-
cedinem stillarunt. Latere B. Anna, quoniam fœ-
minam peperisti. Hæc enim fœmina Dei mater est,
vite porta, lucis fons: atque fœminarum crimen
dissolvit &c. Quæ omnia S. Damascenus gravi
stylo prosequitur, ac tandem concludit: O sa-
crum par *Joachim & Anna*, natalitiam hanc ora-
tionem à me accipe. O *Joachim & Anna* filia ac
Domina, peccatoris orationem accipe, ardentem
tamen amantis ac colentis, teque solam gaudii spem,
habentis, vite antistitem, in gratiam cum filio re-
ducentem, firmamque salutis arram. Peccatorum
sarcinam discute, idque quod menti mea tenebras
offundit, ac terrenam crassitiem dissipa. Tentatio-
nes comprime, pieque ac sanctè vitam meam guber-
na, atque ad cœlestem beatitudinem fac ut te duce
perveniam. Pacem mundo atque omnibus hu-
jusce urbis incolis rectè de religione sentientibus
absolutam numeris omnibus lætitiâ ac sempiter-

nam salutem per tuorum parentum ac totius Ecclesie complementi preces concilia. *Fiat, fiat.*

2. Tulit una omnium Virginum, Christi mater, virginalis appellationis decus, estque ita & piè & sanctè comparatum, ut ubi nomen Virginis, vox cælo grata, inferis invisa, gentibus popularis, ore effertur S. Annæ filia Christi parens nominari, nec ulla virginum alia intelligatur: Hæc in ortu veri Isaac benedicta ut Sara. Joannes Lopez Episcopus Monopolitanus epitomes SS. Patrum lib. 3. c. 7. n. 15.

3. Lubet hic nonnihil immorari sanctissimis consolationibus ac illustrationibus, quæ ex nato Salvatore resultarunt in parentelam ejus temporalem. Fuerunt sanè Joseph & Maria duo lilia inter quæ Christus infans pascebatur. Ita Rupertus Ab. lib. 2. super Cant. versu: *Dilectus meus mihi.* Breviarium vetus Roman. in festo S. Joseph. versu 3. Hymni: *Collaudemus toto corde, concinit: Joseph portat, Joseph tractat, Joseph mulcet osculis.* Plenius hæc deducit Bufenensis Mariæ p. 9. serm. 2. & Hanswick tom. 1. enarr. 2. sect. 27. Domina nostra postquam Zachariæ domum subiit, & cognatæ Elizabethæ salutem impertita est, puellus intra viscera hujus inclusus, præ gaudio exultavit, & mater prophetare cepit. Quid non credendum est contigisse ex matutinis, vespertinis, & dietim ex obviis salutationibus, & admirandâ sermonum efficaciam, tam virginis, quam virginæ proles, cum Annâ & Josepho affectuo-

fectuosissimè habitis? De Iosepho ante ducen-
 tos annos eximius Doctor Jacobus de Clusâ d
 admirabundus scribit: O quam fœlix noster iste
 Ioseph, cui tanta, pulchra, sancta, regia Impera-
 trix est desponsata, cui quotidie famulabatur fa-
 ciem ejus delectando, vocem ejus audiendo, imò
 & infantem Jesum bajulando, osculando, in ulnis
 suis gestando, sicut ille justus senex Simeon! O
 quanta gaudia putamus cum habuisse in dulcissi-
 mâ conversatione tam matris quam filii usque
 ad 30. annum! De S. Annâ audiatur Lansber-
 gius: *e Magna exultationis & letitia, beatissima
 Anna receperunt præcordia. Quantum exultavit
 ejus tunc spiritus in Deo nepote salutaris suo? neque
 enim potuit non sentire, ut puto, hunc esse puerum,
 qui ante filia sua conceptionem sibi fuerat olim pro-
 missus. Sensit ex admirabili cordis sui immutatio-
 ne, sensit denique ex insolitis illuminationibus sue
 mentis, hunc esse Deum & Dominum suum. Nolo
 autem in his, quæ dixi, objiciat mihi quispiam for-
 tassis minus devotus, hæc in nullâ Canoniarum
 Scripturarum haberi, atque ideo non credenda.
 Nam si ideo non credenda sunt, non est quoque cre-
 dendum beatissimam Mariam filium suum oscula-
 tam fuisse aut brachitis amplexatam, quod nusquam
 in veteri aut novo testamento id legatur. Id asserere
 quam ridiculum sit, quis ignoret? Dicendum po-
 tius Evangelistarum nulli id fuisse propositi, ut aliud,
 vel de matre ejus, vel de Ioseph, quanto minus de
 a vis*

d Clusâ in Vig. Nat. Domini. e Lansberg. serm. 2. de S. Anna.

avis ejusdem. reliquisve historiis, quae illo even-
rant tempore (tametsi in Christi laudem dici po-
tuissent) enarrare, praeterquam de Christi huma-
nitate ac divinitate, ejusdemque operibus, idque
parcissimè ac brevissimè, adeo ut à duodecimo anno
Christi, usque ad tricesimum quoque aetatis ejus,
quid fecerit, quid dixerit Christus, tacuerint peni-
tus. Inhaerendo modo adductis, si quis nœniis sa-
cris puerum Bethlehemiticum demulcere volue-
rit, recurrat ac Posseuini bibliothecæ selectæ
lib. 17. c. 26. in fine: ad Ætium Syncerum Sanna-
zarium de partu virginis, ad Levini Torrentii
poemata sacra: ad Jacobi Pontani floridorum
librum primum, ad calcem tractatus Pauli Barrii
de S. Joseph, ad Hieremiæ Drexelii de Christo
nascente partis 1. c. 12. & similes.

4. Ad sacratissimum mysterium præfens allu-
dit Jodocus Badius metro sequenti:

*Anna decus mundi, Mater genitricis Iesu
Pronata meritis det tuus astra Nepos.
Primitias nostræ pariens, o Anna, salutis,
Nos cum prole tuâ, cumque Nepote juva.*

*De transitu & depositione SS. Joachim
& Anne. §. 25.*

Augustinus Torniiellus ex Congregatione
S. Pauli, Annaliam sacrorum haud ignobi-
lis scriptor, diversis in locis tradit Anno Mundi
3911. ab Eleazar sive ante sive post natum filium
Ma-

Mathanem, alium filium nomine Pantherem progenitum, proavum Beatissimæ Dei genitricis Mariæ; dein anno mundo 3950. vel circiter ex Panthere natum Barpantherem, qui postea fuit Avus beatissimæ genitricis Mariæ: anno autem mundi 3990. vel circiter Barpantherem genuisse Joachimum, patrem virginis, & postea anno Mundi 4014. vel circiter Annam Joachimo enuptam.

2. Anno ætatis circiter vigesimo sexto Joachimum matrimonio copulatum, memorat idem Torniiellus.^a Anno ætatis vicesimo id factum refert Zirixiensis Legendæ S. Annæ c. 1. Anno tricesimo nuptias adsignat Breviarium vetus Romanum in festo S. Joachimi; ex quâ traditione variâ, consequitur varius annus nativitatis virg. Mariæ: major tamen causatur differentia ex anno Mundi, in quo Scriptores magis dissident.

3. Sunt qui post filiam triennem in templo præsentatam, statim Joachimum obiisse, alii undecimo vel duodecimo año transitum assignant: rursus alii cruci Christi præmortuum volunt, anno ætatis Christi 22. consulantur Salmeron tomo 3. tract. 12. pag. 112. Canisius Marialis lib. 1. c. 4. Suarez tom. 2. in 3. p. D Thomæ. q. 29. disp. 7. sect. 1. Baptista Mantuanus lib. 2. parthenices fol. 24. tomi 2. edit. 1576. Antwerp.

4. Petrus Wilderad Heinsbergicus Theologus, de S. Annâ doctum ac pium ante annos 150. tracta-

^a Torniiell. ad annum Mundi. 3911. n. 11.

tractatum evulgavit sæpius recusum, qui (nescitur quo mysterio) novos semper titulos exhibuit, modo: Vita S. Annæ Matris Mariæ, mox Vineæ S. Annæ, & demum Vinetum S. Annæ inscriptus. Eiusdem cap. 7. sic legitur: *Deus vineam de Egypto transtulit. Psal. 79. quando Annam suavissimam ex hac valle miseria ad æthera sancta transvexit gloriose. Anna in bonâ senectute capit levissimâ febre fatigari, & in brevi defuncta est. Aliquæ historia dicunt, quòd tempore quo Maria fuit in Egypto: alia quòd post Ascensionem Domini migrarit, sed nulla nobis de hoc est certitudo. Hoc unum tamen tenemus, quòd in tertiâ feriâ fuit nata, & in tertiâ feriâ defuncta: quare inolevit pia & commendabilis multum consuetudo, ut ipsa tertiâ feriâ in memoriam ipsius Anne, cum Missâ & Cantibus atque devotis orationibus celebretur. Hactenus Wilderad.*

5. Thomas de Trugillo in thesauro Concionatorum scribit: *Fuit autem B. Anna sanctissima anima deducta ad sinum Abrahe, & postea in Ascensione Domini in cœlum evecta, ubi in eminentissimo quodam loco & sede collocata est; cum sit una inter præcipuas Sanctas, quæ sunt in Patriâ. Si enim virgo sacratissima tantis gratiis & privilegiis, insignita est, quòd esset mater Christi, credendum planè est, hanc beatissimam quæ mater extitit matris Domini, & Christi Avia, amplissimis beneficiis, gratiis, & privilegiis divinitus fuisse exornatam & insignitam, cum fuerit superno fonti videlicet Christo tantopere conjunctissima.* C. Eta-

6. Ætatem SS. Joachim & Annæ atque eorundem depositionis locum, cap. 15. Exegeticon de S. Anna expressit. Si quid solidius occurrisset, optima hæc occasio foret, Zelo veritatis melius recognoscendi: siquidem amatorem propriæ dictionis esse, valde reprehensibile & præjudiciale est. Id quod Gabriel Biel^b confirmat dicens: Quid autem jacturæ passus est S. Augustinus Doctor eximius, eò quod fecit librum *Retractionum*, in quo permultas propositiones retractans, se malè intellexisse, minusve bene dixisse confitetur? Laudes nimirum immortales ex hoc consecutus est, apud omnes præstantes, sapientesque viros.

^b Biel in Report. lib. 1. dist. 11.

De solemnitatibus anniversariis SS. Joachim & Anna. §. 26.

Quæstiones quæ non alicujus legis necessitate proponuntur inutilis vacationis tempus exquirunt, ex Tripartita^a historia tradit Joannes Hoffmeisterus Augustinianus canone 123. Scripturæ: atque quæstionem inutilem silentio solvendam consulit P. Salmeron.^b Ut tamen populari hæsitati satisfiat, duplex dubium præmittemus breviter expediendum. Primum quidem cur S. Joachimi festum in Latinam Ecclesiam introductum sit serius, quam S. Annæ? videtur respondendum, quod Deus fecerit majora
mira-

^a Tripart. lib. 1. c. 20.

^b Salmeron tomo 8.

mirabilia in S. Annâ, quia ibi sanctificavit tabernaculum suum Altissimus, præ omnibus sanctificatis, ut dicit S. Thomas^c deinde S. Anna habuit majorem conversationem circa filiam virginem Mariam, pariendo, lactando, bajulando, educando, osculando, & instruendo: ast permanet odor pomi, in manu portantis eum & tractantis. Plura qui volet, recurrat ad S. Vincentii & Guilhelmi Pipini sermones de S. Anna.

2. Alterius dubii fundamenta sequuntur. Martyrologium Romanum 7. Calendas Augusti proclamat: *Dormitio S. Annae matris genitricis Dei Mariae.* Vetus Breviaria sacri Ordinis prædicatorum & aliarum Ecclesiarum Hymnum ad utrasque vespervas inchoant: *Lucis hujus festa colat plebs honesta.* Exegeticon historicum S. Annae cap. 61. exhibet varias sententias & hymnos in festo S. Annae solitos decantari, in quibus pius scrutator sequentes reperiet sententias: *Exultent in hac die cuncti famulantes Domino; Hodie Cœlorum Anna Secretum petiit.* In hymnis: *Mater matris Christi, ex hoc mundo tristi migrans fide bona, sumit vite dona.* Et iterum: *Annam hic dies inclutus vidit beari cœlitus, Annam melodis laudibus jungi superni civibus.* Verba clara sunt, atque se mutuò explicant; contra quæ arguitur:

3. Si virgo mater ante passum Christum mortua fuisset, ante consummatum beneficium redemptionis cœlum non intrasset. Ita Joannes

Duns

e Thom. 3. p. q. 23. & in 3. scripto dist. 3.

Duns Scotus^d Doctor subtilis docuit & post eum plurimi:^e idipsum itaque multò fortius de S. Anna concluditur. Unde præsupposito quod eadem ante Christum fati concessisset, videtur inferri posse, quod dies obitus ejus festivus in Ecclesia Dei celebrandus non sit; cui objectioni facilis est responsio, quod Ecclesia non commemoret Natalem diem alium, quam quo S. Anna cælis renata fuit. Idem quoque facit circa Machabæos & SS. Innocentes, de quibus Jacobus de Voragine tractans de 7 Machabæis.

4. Festivus dies SS. Joachim & Annæ antiquissimus est. Menologium Græcorum die octavâ Septembris ponit festum Nativitatis Mariæ, & postridie Joachim & Annæ. Diem obitus S. Joachim XV. Cal. Octob. adscripsit Romanum vetus Breviarium relatum cap. 15. Exegetici. Decembris die 9. ad SS. Machabæos Colonia festum celebratur, sed hodie Breviarium Romanum solemnitatem S. Joachim die 20. Martii (postridie festi S. Joseph) celebrandam exhibet. S. Annæ verò 26. Julii, sed in Diœcesi Monasteriensi postridie Assumptionis Deiparæ. Ecclesia Latina & Græca variant, atque cognata festa combinant fortè ideò, ut majora fidelibus accrescant gaudia.

5. Cultum S. Annæ tam in Orientali, quam Occidentali Ecclesia pervetustum fuisse, com-

L

mon-

^d Scotus in 3. sent. dist. 3. q. 1. n. 19.

^e Franc. Maronius serm. 2. de S. Francisco. Galatii. l. 7. c. & DD. Scholastici.

monstrant Molanus in Notis ad Ufuardum; & Baronius in Annotationibus ad Martyrol. Romanum. De eâ autem festiuitate (scribit Arturus^f) celebre fit officium in nostrâ religione Seraphicâ: recenseturq; inter festa propria Franciscana, tum in antiquo & novo Breviario Ord. Minorum in Missalibus ejusdem Ord. ex constitutione Sixti IV. quod usque nunc perseveravit. Quem quidem ritum, Gregor. XIII. Papa divino afflatus spiritu, Apostolicis suis literis datis anno Christi 1584. Calendis Maji, sui Pontificatus anno 12. firmavit, auxitque, præcipiens nimirum, ut perpetuis futuris temporibus B. Anna dies festus VII. Calendas Augusti per totius orbis Ecclesias quotannis recoleretur, Romano & aliis Ecclesiarum Calendariis addatur; duplexque ei adscribatur. Vide Baron. & Ribadeniram in vita S. Anna tom. 2. Flor. Sanctor. 26. Julii: Onuphrium in Sixto IV. Poireum tract. 4. triplic. coron. virgin. cap. 4. Licet enim Pius V quondam abstulerit ex ordine Officii Ecclesiastici S. Rochum & S. Annam, Presentationem Virg. & officium proprium Conceptionis ipsius Deiparæ, non ideo tamen quia aliquid falsum id officium contineret, vel horum Beatorum derogaret sanctitati; sed quia voluit ad antiquum morem revocare officia: uti scitè annotat Carthagenat. tom. 2. de arcanis Deip. virg. hom. 19. §. 3. Hucusque verba Arturi.

6. Ad

f Artur. in Martyrol. Franciscano VII. Cal. Augusti.

g Baron. in annot. ad Martyrol. Rom.

6. Ad propositum nostrum idem auctor h
alibi scribit: S. *Joachim* pater beatissime virg. *Dei*
genitricis Mariae, praeipua devotione colitur in
nostra Religione, uti constat ex *Missali & Brevia-*
rio antiquo & novo Ordinis Minorum, cujus offi-
cium cum nonnullis propriis versibus, antiphonis,
oratione & lectionibus, modo appositum cernimus
intra *Breviarium Rom.* ex mandato, motuque pro-
prio summi Pontificis *Gregorii XV.* sane in *Capitu-*
tulo Generali Lavallensi (Ordinis nostri) anno
1505. ordinatum fuit, quod huiusmodi festum fieret
per universam familiam *Cismontanam*, in *Crasti-*
no S. Joseph sub ritu duplicis minoris. Vide *Specul.*
FF. Minorum tract. 3. de ordinationibus circa di-
vinum officium fol. 209. pag. 2. ac paulo post idem
festum ex nova concessione Julii II. Pape inter ma-
jora duplicia nostri Ordinis recensitum est, &c.

7. Saluti humanae consulens *Petrus Blo-*
*meuenna*ⁱ *Carthusianus* nos exhortatur dicens:
Honorandus est cum omni affectione atque dulce-
dine, noster singularissimus amator, angelus pro-
prius, protector fidelissimus, cui etiam proprium
festum circa festum angelorum in privato celebra-
ndum est. Item eligendi sunt aliqui speciales patroni
de Angelis, de Patriarchis, scilicet S. JOSEPH nu-
tricius Domini, vel S. JOACHIM pater gloriose
virg. Mariae vel alius: De Prophetis S. JOANNES
BAPTISTA vel alius: item de Apostolis, Evange-
listis,

L 2

h Arturus XIII. Cal. April. in Martyrol. Franc.

i Blomeu. de bonit. divin. lib. I. c. 28.

listis, Martyribus, Confessoribus, Virginibus, Viduis scilicet S. ANNA, mater gloriosa genitricis vel alia: Item de conjugatis S. Perpetua martyr, uxor S. Petri Apostoli vel alia; Item de peccatrici-bus Maria Magdalena, Maria Aegyptiaca &c. qui sic electi specialiter & singulariter præ cæteris amorosè honorandi sunt & orandi, ut promptè in omni necessitate succurrere dignentur &c.

8. In eundem sensum Abbas ^k Trithemius nos exhortatur: *Omni die quemadmodum devotio recta suggesserit laudis aliquid de S. Annâ Deo offeramus; Facillimâ id operâ pii præstant, sibi-que à Deo benedictiones metunt, qui manè, postquam per mentis elevationem & solitas preces Deo cogitationum primitias consecrarunt, immediatè subjungunt ter salutationem Angelicam & in eâdem morosius prolato vocabulo JESUS, inserunt versiculum: Et benedicta mater tua Anna, ex qua sine labe es concepta. Sancta Maria &c.* Clausula diei eadem sit. Ante studii aut operis inchoationem, pro ductu fælicissimo, itidem ante congressum hominum pro cautelâ, in omni subitâ desolatione & tentatione, pro sublevatione, in omni gaudio ac novâ illustratione, pro gratitudine, singulatim salutatio unica dicatur. Nomina insuper sacra: JESUS, MARIA, ANNA crebrius frequentur, accrescet sic gratia in præsentî, & solatia in novissimo exitu oportuna non deerunt.

9. An-

^k Trithem. c. 12. de S. Anna.

9. Antequam vela contrahamus, pro eminentiâ festi S. Annæ minimè dissimulandum venit, quod multis retrò temporibus illud in substantiâ officii divini, aliorum Sanctorum festivitates, multis parasangis antecelluerit. Ecclesiarum quippe Antistites, pensantes in S. Annâ approximasse dudum à Patribus desideratam plenitudinem temporis, quo gratia novæ legis, salutisque cæpit coruscare, ablatâ irâ, quæ ab exordio propter primorum parentum prævaricationem, universum genus humanum presserat; circa ipsam magnam Matrem Annam, ceu incarnati verbi scaturiginem, miris modis spiritus fervorem declararunt; dum non destiterunt pro celebrando divino officio, præter plenam antiquæ historiæ deductionem, per figuras, oracula divina, schemata & Synonyma magis exegetica, cælestis beneficii magnitudinem concelebrare, divinorum mysteriorum, charismatum atque exinde resultantium perennium gaudiorum myriades conglomerare, pangereque gratiarum, præconium, atque congratulationum (juxta disparis instinctuum conceptus) formulas, ac proclamata diversa, iis invitando tam triumphantem, quam militantem Ecclesiam ad collætandum in Domino, illique debitam confessionem & laudem persolvendum, cum exultatione & lætitiâ ineffabili; adeò ut, sicut præactum est, post Christum, ejusque virginem Matrem, nullius unquam Sancti solemnitas, parem in attributorum

& elogiorum præstantiâ ac multiplicitate, habuerit eminentiam, aut æquali efficaciâ legentium vel audientium potentias commovere potuerit, prout ex antiquis diversarum Ecclesiarum Breviariis colligere licet.

10. Hujus itaque dictionis finis hic esto, præviâ tamen salutatione ad sanctissimum Patriarcham Joachim, ex Romano Breviario veteri mutuâtâ:

*O Pater summe Joachim puella,
Quæ Deum clauso genuit pudore,
Promove nostras Domino querelas,
Castaque vota.*

*Scis quot hic sævis agitemur undis,
Triste quos mundi mare defatigat,
Scis quot advectet Sathanas, carove
prælia nobis.*

*Iam sacris junctus superum catervis,
Imo præcedens, potes omne si vis,
Nil Nepos Jesus merito negabit
Nil tibi nata.*

*Fæc tuo nobis veniam precatû
Donet, & pacem Deitas beata,
Vt simul juncti resonemus illi
Dulciter hymnos.*

Quod

*Quod S. Anna in aeternitate eximie refulgens
Auxiliatrix sit potentiissima.*

§. 27.

Astittit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate, Psal. 44. Thema præfens Henricus de Urimaria^a SS. Theologiæ Professor, Annæ beatissimæ adaptans, sic declamat: Rectè figurata est per illam Reginam, quæ astitit à dextris Christi in vestitu deaurato circumdata varietate. Benè namque Anna gloriosa Regina dicitur, quia omnes motus sensualitatis per regale dominium rationis compressit, ita ut nec in cogitatu, nec in verbo, nec etiam in opere unquam aliquis motus inordinatus in eâ insurgere potuerit contra iudicium rationis. Benè etiam dicitur, quod à dextris Christi astitit, quia semper mens ejus in bonis divinis & æternis occupata fuit. In vestitu etiam deaurato astitit, quia semper cor ejus charitate ferventissimâ plenum fuit: benè etiam fuit circumdata varietate, quia in omnibus suis dictis & factis, motibus & desideriis fuit adornata virtutum varietate: unde omnes fideles pulchritudinem suarum virtutum admirantes dicere possent illud Cant. 3. *Quæ est ista, quæ in hâc scilicet mortali vitâ processit sicut Sol, per boni scilicet exempli claritatem, & formosâ tanquam Jerusalem, propter cœlestium civium conformitatem, quia hic in terris vitam*

L 4

cœ-

^a Urimar. serm. 2. de S. Anna.

Quod

cœlestem duxit. *Viderunt eam filia Sion*, id est, sanctæ animæ contemplativæ & beatam dixerunt, & regina, id est animæ perfectæ, regali dominio præditæ, *laudaverunt eam*. Ecce quod B. Anna ab omnibus civibus cœlestibus laudetur & honoretur & beata prædicetur. Propter secundum est sciendum, quod sicut Deus in hac vitâ gloriosam Annam magnificavit varietate meritorum ita & in æternâ vitâ, quæ etiam propter stabilitatis permanentiam, *Hodie* nuncupatur, ipsam dotavit multiplici varietate præmiorum. *Hodie* namque, sicut dicit Hieronymus, ^b *Dei genitricis parens gloriosa, paradisi voluptatis, in terris effecta, ad portas cœlestis paradisi producitur, ubi corona gloriæ in manu Domini, & sertum exultationis, & diadema spei in manu Dei sui. O quali tripudio, dicit Hieronymus, omnem illam cœlestem Ierusalem credendum est ineffabiliter exultare, quando Anna gloriosa Verbi incarnati Avia, Salvatore sibi occurrente, cum omnibus cœlestis curiæ ordinibus, ad æthereum thalamum est deducta!* Ubi mater gloriosa fructu suavissimo satiatur, & regem gloriæ cordis oculo limpidissimo, delectabiliter contemplatur. Ibi ejus auditui semper datur gaudium & lætitia, cum sibi à tota Trinitate dicuntur verba melliflua, omni jucunditate plena. Proverb. ult. *Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis*, hoc est, in præmiorum meritis opera ejus.

2. S. Tho.

^b Hieronym. serm. postulastis filiæ.

2. S. Thomas^c docet quod multi Sancti non virgines, ut Petrus & Magdalena multis etiam virginibus eminentiores sint: ita & Doctor Leuchtius^d tradit in æternitate S. Annam splendore omnes Sanctos superare. Anno 1524. Horæ B. Mariæ, secundum ritum Colonienfis Diocesis, sumptibus Francisci Birckmanni Antwerpiæ typis descriptæ sunt, atque ibidem in Litaniam post Dei genitricem sequuntur SS. Anna, Michael, Gabriel, Raphael: deinde post S. Joannem Baptistam sequuntur SS. Joseph, Joachim & tres Reges. Similiter Officium B. Virginis in 18. Colonia per Petrum Kesched anno 1595. in Litanis post 7. Psalmos, immediate post Dei genitricem Virginem virginum, ante Archangelos collocat S. Annam. Ita & Trithemius^e supra Choros Angelorum collocat Dei genitricem Mariam, atque ei proximam facit S. Matrem Annam, sicut Exegetici c. 7. sub finem videre licebit. Sarumense^f Breviarium anno 1495. Venetiis cūsum S. Annam ita interpellat: *Quam potens esse diceris in regno Beatorum, quæ genitrix agnosceris Regina angelorum: insignis quippe diceris Patrona miserorum: impetra nobis miseris veniam peccatorum.*

3. Matthias Faber^g suaviter discurret dicens: Merito Ecclesia de S. Anna legit & intelligit quod Prov. 31. dicitur: *Mulierem fortem quis inveniet?* Quis enim non dicat S. Annam mulierem

L 5

esse

^c Thom. in 2. sent. dist. 9. a. 8. ^d Leucht. Fontis animæ pag. 378. ^e Trithem. c. 1. de laud. S. Anna. ^f Sarum. Breviar. Responsorio 5. festi S. Anna. ^g Faber Auctar. Themate 4. in festo S. Anna.

esse fortem, quæ in suis brachiis (ita enim pingi solet) gestat fortissimas duas proles filiam Mariam & Nepotem Christum? hic enim idololatriam evertit, mortem vicit, infernum destruxit, Satanam regno exiit, cœlum occupavit. Illa caput serpentis contrivit. Deinde Anna sonat gratiam. Gratia duplices gestat proles & ambas ad cœlum effert, in dextrâ eos qui hic prosperantur fortunâ & quidem plurimos: in sinistrâ qui adversam patiuntur longè adhuc plures, adeo ut nemo de hac matre queri possit. Quamquam attendere debent proles istæ, ne è matris hujus brachiis culpâ suâ excidant. *Cadent enim à latere tuo mille & decem millia à dextris tuis*, ait Psalmista.

4. S. Annæ itaque acclamare licebit: *Scit omnis populus qui habitat infra portas urbis Jerusalem, mulierem te esse virtutis*. Carthusianus anonymus in libello de laudibus & confraternitate S. Annæ scribit: Tota cœlestis curia Annam diligit ut Matrem, veneratur ut Dominam, quæ tantis creditur à Deo honorata muneribus. Etenim si revelationibus credimus, ^h ferunt beatam Virginem cuidam devoto dixisse: Si me diligis honora matrem meam, & quidquid illi reverentiæ impenderis, mihi dupliciter gratum erit. Unde & Lansbergius: ⁱ Rogemus igitur charissimi S. Annam, ut Nepoti suo Christo supplicet pro nobis. Libenter enim aviam suam (quod multis est

^h Trithem. c. 9. de laud. Annæ. ⁱ Lansberg. serm. 4. de S. Anna.

est miraculis testatum) audit. Leodiense Breviarium^k anno 1522. Parisiis editum, piè accinit: *Funde vinum desolatis, phiala letitiæ, de quâ novæ desperatis rivus fluxit gratiæ, ut de regno claritatis detur spes fiducia. Liberalis liberali fundi preces sedulas, qui paratus est largiri semper id quod postulas.*

5. Sancti qui singularibus donis ac victoriis in terris à Deo sublimati sunt, etiam in gloriâ specialibus privilegiis obtinendi similia suis cultoribus, sunt donati; unde licet omnes Sancti pro singulis necessitatibus catholicè invocari possunt, non minus tamen pro specialibus impetrandis auxiliis, ad speciales recursus haberi potest, ut probant auxilia & revelationes, in probatissimis historiis per SS. Patres descriptis: De quibus particularibus Auxiliatoribus, cap. 17. Exegetici copiosè satis tractavimus, atque ex Abbate piissimo demonstravimus, tutelarem ac patronam universalem esse S. Annam suis cultoribus fidam Biverus quoque dissertat. i. pag. 157.

6. *Ad impetrandam itaque Dei misericordiam (ait^l Trithemius) quia merita nostra non sufficiunt, Sanctorum nobis suffragia imploranda sunt, ut quod nostris meritis non possumus, eorum precibus consequamur; omnes autem cœlestis Patriæ cives, etsi pro meritorum qualitate sint dissimiles, tamen ad subveniendum miseris nostris (pro*

varie-

^k Leod. Breviar. Responsorio 2. festi S. Annæ.

^l Trithem. c. 3. de S. Anna.

varietate supplicantium) si devotio exposculet,
 actu & voluntate creduntur esse concordēs: quia
 dum fides postulantis advocati juvat, meritum ad
 impetrandum reddit duplicatum: hæc autem non
 conjecturâ sed experientiâ assequimur, dum unum
 exaudiri, alium contemni à Sanctis admiramur.
 Ad Sancti alicujus meritum duo cæci supplicaturi
 accedunt, unus illuminatur alter in cæcitate suâ
 relinquitur: Contemptus Sancti nullus adesse cre-
 ditur, sed diffidentia supplicantis arguitur. Sine fide
 nihil meretur devotio. Consideratione certâ ista
 præmiserim, ut si quisquam Annam beatissimam,
 non tantâ promptitudine quâ promittimus, sibi ad-
 esse senserit, non mendacii nos arguat, sed suam diffi-
 dentiam culpabilem agnoscat. Fiducia enim ma-
 xima est apud Deum & Sanctos, constans in opere
 fides: amplius autem eos posse apud Deum, qui sunt
 meritis excellentiores, nemo Christianus est qui du-
 bitet. Beatissima igitur Dei genitrix semper virgo
 Maria, sicut moritis & sanctitate omnibus Sanctis
 præeminet, ita potestate & majestate, utpote Regina
 cæli, universos jure creditur excellere. Ad ejus
 dexteram (ut ita dixerim) beatissimam matrem
 Annam astare confidimus, cujus vitam extitisse
 Sanctissimam non ignoramus. Et paulo post: Cur-
 rite gentes undique, & de meritis tantæ patronæ
 suscipite benedictionem. Enim verò si devotio sancta
 fidelium in eam feratur, credimus quod omnipotens
 Deus magna mortalibus donaturus sit munera, &
 non minora quam per filiam dare consuevit. Vos
 itaque,

itaque, o fideles populi, qui filiam S. Annae Dei ma-
 trem creditis, qui sub umbrâ sanctitatis utriusque
 acquiescitis, si in amore Dei cupitis proficere, si ad
 caelestem patriam vultis pervenire, memoriam san-
 ctissimae Matris nolite negligere: ipsa enim post Re-
 ginam in aulâ caelestis Imperatoris, potentissima
 est: quia de ejus sanguine Dei filius carnem assu-
 pfit ex virgine, de quacunque tribulatione ad eam
 clamaveritis, auxilium invenietis, omnia sufficit
 vobis concedere, quae vos poteritis in fide postulare:
 languidos sanat, crimina purgat, corda maestorum
 sanctâ exultatione letificat, tristia sedat, aspera pla-
 nat, demonum phantasmata fugat. Sicut glacies ab
 igne resolvitur, sic à meritis sanctissimae matris An-
 nae antiquus hostis fugiens perturbatur. Anna pie-
 tatis Arca de decus fugat, famam pulchram conser-
 vat, amorem turpem a mentibus suorum fidelium
 mirabiliter eliminat. Annam igitur colite, qui
 mundi hujus erumnosam vitam exercetis. Anna
 peccatoribus veniam impetrat, vitia extirpat, vir-
 tutes plantat. Anna morbos curat, vulnera sanat,
 pestilentiam exterminat. Hanc ergo matrem co-
 lite o filii, quae potens est vos introducere ad con-
 spectum Dei, quam qui Advocatam apud Deum
 habuerit, adversa hujus mundi nulla formidabit.
 Quisquis igitur tranquillam & sanctam in terris
 vitam agere desiderat, quisquis veniam suorum
 peccatorum efflagitat, à servitio hujus sanctissimae
 Matris nunquam discedat. Ipsa enim suos cultores
 etiam in hac vitâ multipliciter remunerat, & per-
 seve-

severantibus æterna donaparatur. Junior fui quam sum: & nunquam vidi famulum S. Annæ devotum, à Deo derelictum, neque famam ejus turpi opprobrio maculatam.

7. Conradi Celtis Poëtæ Laureati tetrastichonacclamatione consonat hujusmodi:

*Nullius Anna preces unquam demisit inanes,
Sed tulit optatam candida semper opem.*

*Ergo piam matrem multo cumulemus honore
Nullius vacuas quæ sinit esse preces.*

*De Confratriis SS. Ioachim &
Annæ. §. 28.*

CUM ora hæreticorum, non tam generaliter Fraternitates, quam specialiter S. ANNÆ magnæ Matri adscriptas, ceu rem nuper inventam, sugillando exagitent, lubet carptim demonstremus plures confratrias, quæ vetustissimas quæ fundatissimas. Prima fraternitas est, dum animalia ab uno creatore condita considerantur, quo respectu Seraphicus P. N. Franciscus illa fratrum ac sororum nomine dignabatur. Ad quod P. Bern. ^a Bauhusius sic allusit:

*Cum gentes aligerum dicis Franciscæ sorores,
Fratres lanigerum, Cornigerumque pecus.
Scilicet exiliunt & blando murmure grates
Reddit ovis, dulci & carmine reddit avis.
Nec dubito fandi fieret si copia, fratrem
Teque vocaret avis, teque vocaret ovis.*

^a Bauhusius lib. 2. epigram.

2. Verum quia Altissimus animalia subjecit sub pedibus nostris, altera melior fraternitas relucet in hominibus, à communi parente Ada, aut ab unâ tribu descendens, in quibus maxima deberet esse concordia juxta *l. 15. nulla ff. do judi.* sed fefellit in Cain circa Abel, & prò dolor omni ætate in plurimis: Tertia proinde *fraternitas* successit, quæ dicitur *juratoria*, ut sunt omnes subditi jurati Imperatori, principi vel civitati, qui *Prov. 18* fratres dicuntur, sed teste jure canonico *de falsa c. falsidicus*, intervenerunt sub juramenti velamine deceptiones detestandæ. Per quartam itaque fraternitatem filius Dei hominibus consultum voluit, quæ est religiosæ congregationis, certi instituti, professionis & sexus; quinimò & aliam magis universalem fundavit, omnis sexus variarum artium & professionum, fundatam in verbis filii Dei: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos*. Ejusque fraternitatis amatores, Apostolus suos neophitos fideles esse jussit, in quâ etiam sorte S. Annæ, aliæque Confratriæ reponuntur. Et quidem Confratriarum SS. Joachim & Annæ fructum hunc supremum demonstrat Biverus^b dicens: *Felix ille, qui per cultum & venerationem Joachimi simul & Annæ venerit ad filiam, cum ipsa de se dicat: Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino*. Ad hunc finem, præambula virtutum ac bonorum operum exercitia, Abbas

Tri-

^b Biver. dissert. 3. pag. 585.

Trithemius commemorat sub finem §. produ-
cendus. Carolus Veron^c docuit, ob certas con-
siderationes aliis præferendam S. Joachimi so-
dalitatem.

3. Inclyta Archidiæcesis Coloniensis, versus
Orientem limitem habet Hammonam, in Marcâ
Westphalicâ, ad confinia Monasteriensis. Huic
Urbi in Regno Germaniæ (quantum scire licuit)
antiquissimam S. Annæ Confratriam cap. 40. af-
signavit Exegeticon; quod assertum, quia cum
aliis diversis Scriptoribus pugnare videtur, se-
quenti justificatur diplomate: ^d

Theodoricus Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ
Episcopus Cyrenensis, sacræ Theol. humilis Pro-
fessor, Reverendissimi Domini Hermanni de
Wedâ, sacræ Coloniensis Ecclesiæ Electi per ci-
vitatem & Diæcesin Coloniensem in Pontifica-
libus Vicarius Generalis. Notum fieri cupimus
per præsentem, sicut à fide dignis certâ relatione
accepimus, anno Domini millesimo quadringen-
tesimo vicesimo quarto, tempore Reverendissi-
mi Domini Theodorici Archiep. Coloniensis, &
Conrado Vene Componensi Episc. ejusdem Do-
mini Theodorici per Civitatem & Diæcesim Co-
loniensem in Pontificalibus Vicario, ad hono-
rem S. Annæ matris sacratissimæ Virginis Mariæ,
Sanctorumque Georgii & Adriani Martyrum, in
civitate Hammonensi Coloniensis Diæcesis, in-
stitutam fuisse & esse Fraternitatem; cui Frater-

nitati

^c Veron Triumpho lib. 1. c. 12. ^d Archivum Franciscan. Hammonæ.

nitati Idem qui supra Dominus Conradus Vene-
Componensis Episcopus, devotionis intuitu
certis diebus Anni Indulgentias contulit singu-
lares. Cum igitur Nos in civitate præfatâ in Ec-
clesiæ FF. Minorum dedicatione occuparemur,
ab honestis discretisque viris, tam Sacerdotibus,
quam Laicis, de Fraternitate jam dictâ, cum mul-
tâ precum instantiâ fuimus requisiti, quatenus,
quantum cum Deo & Jure permittente posse-
mus, aliquid gratiarum specialium, seu indulgen-
tiarum, ad indulgentias per prædecessorem no-
strum præfatum concessas superaddere digna-
remur: Nos igitur precibus præfatorum Fra-
trum inclinati, pro celebriori cultu, quem sem-
per ex injuncto nobis officio præ oculis habere
tenemur, ad dictas indulgentias de omnipoten-
tis Dei misericordiâ & BB. Petri & Pauli Aposto-
lorum ejus gratiâ confisi, adjicientes, concedi-
mus omnibus & singulis fratribus & sororibus
Fraternitatis supradictæ, cæterisque Christi fide-
libus confessis & contritis, qui celebrationi mis-
sæ, quæ singulis Tertiis feriis in honorem S. An-
næ dicuntur interfuerint, In primis ex parte Do-
mini nostri Hermannii Electi 40. dies, & ex parte
nostra totidem indulgentiarum dies. In quorum
omnium fidem, & robur præmissorum, sigillum
nostri officii præsentibus appendi fecimus, datis
in civitate Hammonensi mensis Maji die 24. an-
no Domini 1515.

4. Animadvertendum etiam, quod ex nostrâ

M

histo-

historiâ Germanicâ vitæ S. Annæ, anno 1649^a Moguntia transumptum sit quoddam compendium Germanicum, ibidem typis Nicolai Heyl exaratum, cujus pag. 212. versu 3. anonymi novâ additio asserit, Hammonensem Confratriam ad PP. Dominicanos translata, apud eosdem hodieque perseverare. Gratis ista dicuntur, tum quia ex Diplomate descripto aliud constat, tum quia PP. Dominicani Hammonæ Residentiam non habent neque habuerunt.

5. Osnabrugensis S. Annæ Confratria, anno 1484. erecta, ceu mater plurium aliarum Trithe- mio^e visa fuerat antiquissima. A Carthusiano olim anonymo, editus fuit libellus continens laudes & fraternitatem de S. Anna, cujus libelli pag. 4. sic legitur: *Cupientes igitur hanc S. Annæ perutilem intrare fraternitatem, debent omni tertiâ feriâ, pro aliqua gratitudine, ad honorem S. Annæ, filia ejus Mariæ, & nepotis Christi, tria dicere pater noster & totidem Ave Mariæ, omnibus fratribus communicanda; qui similia faciunt absque tamen obligatione alicujus culpa, sed illius duntaxat pœna, quod tria pater noster ut præmittitur non dicentes, pro tempore quo negligentes sunt, suorum Confratrum participationem non habebunt. In multis denique locis consuetudo laudabilis obtinuit, ut non minori reverentiâ, in commemoratione S. Annæ tertiâ feriâ celebretur, quoniam Sabbathi dies in memoriam Dei genitricis in Ecclesiâ per-*
agi-

agitur. Et hoc ideo præ cæteris diebus plus in tertiâ feriâ, quia in tali & nata fuisse legitur & defuncta. Vidimus insuper in plerisque Ecclesiis tertiâ feriâ in honore S. Annæ missas decantari, luminaria accendi & oblationes fieri. Nonnulli etiam Annæ cultores, ad honorem *JESU, MARIE & ANNE*, omni tertiâ feriâ, in ejus altari seu ante ipsius imaginem, tres solent accendere candelas, & tres facere Eleemosinas; Et de hac devotione legitur miraculum quod contigit in Pannoniâ, ubi etiam S. Anna juvenem pauperem & desolatum ad magnos promovit honores & divitias: sed quia hoc miraculum multis jam vulgatum est, ideo placuit illud hic omittere. Fuit itaque hæc Confraternitas (NB) inchoata eo tempore quo & fraternitas B. Virg. de rosario in Colonia, anno ab incarnatione Christi 1475. deinde exitit confirmata in Osna-burgensi diocesi; per ejusdem Ecclesie Pontificem Conradum: De post Bertoldus Moguntia Ecclesie Archiepiscopus, ad instantiam quorundam ipsam etiam confirmavit: Postremo Innocentius Papa VIII. anno sui Pontificatus octavo eandem approbavit. Multus etenim personarum numerus utriusque sexus ad hanc laudabilem S. Annæ Confraternitatem confluit, & indies colligitur. Sancta plane & utilis est hæc fraternitas quoniam spem erigit, charitatem excitat & inflammat devotionem. Carthusianus ille hæctenus.

6. Confratriæ speciales S. Annæ nominatim expressæ sunt Exegetici cap. 40 atque Historiæ

Germanicæ cap. 23. Quia autem circa quasdam annus institutionis ignoratur, ordine alphabetico singularum loca carptim resumemus, sunt autem: Agrippina Colonia Urbs primaria S. Imp. ad Rheni sinistram, in Capitolio atque apud Carmelitas, Minores Conventuales & Recollectos, quibus modo addenda venit Collegiata Ecclesia S. Cuniberti atque in S. Benedicti sacello juxta Capitolium anno 1515. erecta & anno 1620. restaurata fraternitas S. Annæ: Aquisgranum Urbs Imperialis in Menapiis: Andernacum infra Confluentiam: Borenhoven Ecclesia supra Boppardiam: Confluentia civitas Trevirensis ad Rheni & Mosellæ confluentes: Dura (Cornelio Tacito Marcodurum) Civitas Ducatus Juliarum: Efferen pagus Satrapiæ Berchemensis in eodem Ducatu: Erpel pagus Coloniensis propè Lintz: Francofurtum Urbs Imperialis ad Mœnum: Halberstadium metropolis Episcopatus proprii in circulo Saxonico: Hammona Civitas in Marcâ Westphalicâ: Kempna oppidum inferioris Diœcesis Coloniensis: Lintz oppidum in superiori Diœcesi Coloniensi ad dextram Rheni: Moguntia Metropolis proprii Archiepiscopatus ad Confluentes Rheni & Mœni: Mannebach pagus Satrapiæ Baccharacensis ad sinistram Rheni: Osnaburgum Urbs Cathedralis in districtu Westphaliæ: Sechten pagus Satrapiæ Brulensis in agro Coloniensi: Theodonis villa Urbs Lutzenburgici Ducatus ad Mosellam: Urticetum propè

propè Hailbrunam in districtu Wirteburgico,
olim simul Confratriis S. Annæ gaudebant.

7. Auctarium esto: *Fulda Urbs primaria
Buchonia* in principe Basilicâ inter alia illustra
decora, gaudet etiam S. Annæ Confratriâ celebri
ac florenti. Rem ab ovo quod ajuunt aperiam:
Calendis Juliis anni 1494. Joannes Trithemius
Abbas Spanheimensis tractatum de laud. S. An-
næ Moguntiaë prælo commissurus, eundem in-
scripsit venerabili, Religiosissimoque Patri, D.
Rumuldo Laupach Ordinis Carmelitani Con-
ventus Francofordiensis Priori, cujus prælimi-
narem epistolam verbis totidem fuit auspicatus:
*Voto nostro & tuis petitionibus (oprime Pater) sã-
tisfacere cupientes, librum de laudibus sanctissimæ
matris Annæ sincerâ devotione conscripsimus, quem
tuo nomini dicamus: quoniam antè alios nobis
dignus visus es, cultor maximus amatorque devo-
tissimus ejusdem venerabilis Annæ. Eiusdem Tra-
ctatus cap. 15. sequentia leguntur: Cœpit hæc san-
cta Fraternitas in Osnaburgensi Diœcesi, & per
Conradum dictæ Ecclesie Pontificem, ante hoc fer-
mè decennium, sub Friderico III. confirmata, valde
multiplicata est. Deinde Rumuldus de Laubach
Prior Conventus Carmelitarum Francofurdiensis,
maximus Divæ Matris Annæ cultor & amator,
ad instantiam quorundam notabilium institutorum,
eandem fraternitatem in prædicto suo Conventu in-
stituit, quam Bertholdus de Hennenberg Eccle-
siae Moguntina Reverendissimus Archipræsul con-*

firmavit, summusque Pontifex Innocentius VIII. anno Pontificatus sui octavo, eandem apostolicâ auctoritate approbavit. Et quidem digna institutio, ut Fratres Carmelita, qui titulo Beatissima Dei genitricis specialiter sunt insignes, in matris quoque laudibus existant promptiores. Magnus quoque & copiosus personarum numerus utriusque sexus in hac fraternitate est, qui mira & multa pro honore S. Annæ quotidie faciunt & impendunt. Sed in diversis locis hæc eadem veneranda fraternitas à fidelibus exigitur & congruâ devotione celebratur. Ita anno 1494. Trithemius. Quod autem Confraternitas hujusmodi non solum S. Annæ, sed potius in honorem virginis Matris, atque simul parentum ejus Joachim & Annæ erecta fuerit, satis probabile faciunt diplomata Bartholdi Archiepiscopi Moguntini anno 1499. & Raymundi Cardinalis Gurcensis 4. Cal. Aprilis anni 1502. pro Moguntinis Carmelitis Moguntiaë sigillata. Dum itaque Francofurti Confratria hujusmodi fundata existeret, Joannes de Henneberg Abbas Fuldenfis, (exemplo & monitis Archiepiscopi Moguntini Consanguinei sui excitatus) Confratria B. Virg. in summâ æde Fuldensi multis retrò temporibus existenti, præsentem SS. Joachim & Annæ sodalitatem conjunxit & incorporavit. Jam nunc si de principio universali quæritur, constat quod talis confratria incunabula prodierint Hammonæ, dein juxta Carthusianum anonymum Colonia, tertio Osnaburgi, demum

demum Francofurti, Fuldæ & alibi. Sistamus hic calamum ut compleamus Auctarium inchoatum.

8 HAMMERSTEIN vetus regale Castrum in editissimo monte infra Andernacum, subjectam habet civitatulam Cognominem ad Rheni dextram, ab immemorabili Confratriâ S. Annæ donatam, cujus confratres etiam ante Urbani VIII. tempora, ipsum S. Annæ natalem diem festivo cultu solebant transfigere, & supplicationem instituire solemnissimam ad vicinum pagum. Lorch Moguntinense Castellum supra Baccharacum ad dextram Rheni similem Confratriam laudatissimam conservat. Moguntia apud PP. Prædicatores Sodalitas S. Annæ vetusta, anno 1644. novo cultu instaurata, hodieque viget, cujus tamen primordia in Compendio Germanico præmemorato non referuntur. Regis villa vulgo Königsdorff Colon. diœcesis in contiguo sanctimonialium Ord. S. Benedicti Monasterio, Fraternitatem S. Annæ anno 1492. erectam fovet, ab Hermanno Pacifico Coloniensi Archiepiscopo confirmam, atque ab Urbano VIII. die 17 Junii anni 1641. vallatam indulgentiis perpetuo valituris. Rothomagii in Metropoli, teste Arturo, & Treviris apud PP. Carmelitas, S. Annæ Confratria antiquam habet originem, Idibus Majis anni 1625. ab Urbano VIII. variis indulgentiis est cumulata. In Urſi castello oppido Trevirensi ad Mosellam, vernaculè

culè Beerencastel, & Witliaci in Parochiâ, similes pervetustæ Confratriæ exhibentur.

9. Trithemio ^f teste: *Multa, ex hujus felicissima fraternitatis celebratione, bona devotis hominibus proveniunt, quibus ab eâ extranei ut plurimum vacui existunt. Ad charitatem quoque Dei & proximi cultores suos allicit, fraternæ dilectionis concordiam facit, à vitiis & peccatis revocat, ad supernæ felicitatis amorem desiderium inflammat. Transeo quot missæ quot orationes, quot Eleemosina, quot sancta opera, in hac fraternitate quotidie fiant, quæ alioquin penitus intermitterentur. Utinam Omnipotens omnium Christianorum corda ad similia devotionis exercitia illuminet, utinam ad hanc fraternitatem ritè colendam omnium mentes inflammet; quanta devotio, quanta pax, quantaque in Ecclesiâ Catholicâ concordia redundare posset. Enimverò si omnes in hanc fraternitatem concurrerent, fieri posset ut amore S. Matris Anna à mutuis injuriis desisterent, & in observantiâ mandatorum Dei alacriores redderentur; Vera etenim fraternitas fraternum colit & nutrit amorem, nec devotio patitur esse dissimiles, quos observantia tantæ congregationis in amore sanctissima Anna fecerit concordēs. O quis det ut hæc S. Fraternitas per totum Christianum orbem diffusa celebretur, ut omnes fideles in amorem divæ Anna rapiantur & dum se in unitate sanctâ præveniunt, à bellis & contumeliis mutuis, ob tantæ patronæ re-*

vereri-

^f Trithem. c. 15. de laud. S. Anna.

verentiam, quiescant; utilis planè & semper honoranda fraternitas, quæ fidem operibus format, spem erigit, Charitatem excitat, devotionem inflammat, per eam namque torpor à mentibus fidelium excutitur, & fervor sanctæ novitatis inspiratur.

De Locis venerabilibus SS. Ioachim & Annae dedicatis, §. 29.

Felix locus, felix Ecclesia, in qua S. Anna viget memoria, ^a Vetus isthæc congratulatio ab antiquo in pluribus Ecclesiis resonare consuevit. Ad propositum faciunt Abbatis Trithemii ^b verba huiusmodi: Nova esse non potest beatissima matris Annae memoria, cuius domus in quâ habitare antiquitas consueverat, non longè post passionem Domini in Ecclesiam sub eius nomine legitur consecrata. In Judæa & regionibus transmarinis à fidelibus Christianis commemoratio eius erat celeberrima, quousque tandem præoccupatâ ab infidelibus terrâ, longo tempore fuit inibi neglecta. In Europa autem regionibus festum eius non erat ita celebre, propterea, quod multi ex his ad fidem tardius pervenerunt. Certis tamen in locis solemnis Anna semper fuit memoria, quæ per fideles de Palestinâ venientes fuerat instituta. Probant hoc in diversis Ecclesiis in honorem eius erecta altaria: probant etiam hoc vetustissima & diversa Patrum de laudibus Annae syntagmata. Hactenus

Trithemius. Præterea de celebri Basilicâ anno

M 5

Christi

^a Breviar. Trevir. Colon. Herbipol. & Augustana in 2. vesperis.

^b Trithem. c. 4. & 12. de laud. Annæ.

Christi 535. à Justiniano Imperatore Constanti-
nopoly erectâ, & de alio templo A. C. 763. reper-
tâ, nec non de pluribus exterarum regionum lo-
cis S. Annæ dicatis tractatum fuit in ^c Exegetico.
Jam nunc visum fuit calamum restringere ad so-
lius Germanici idiomatis loca præcipua, cum re-
cognitione seu pleniori deductione, ubi opus
fuerit; sine potissimum intento, ut locorum in-
clarefcatur felicitas, simulque de Germanorum ad
S. Annam pietate & cultu constet evidentius.

2. AGRIPPINA COLONIA apud SS. Mac-
chabæos in S. Benedicti Ordinis Parthenone arâ
SS. Joachimi & Annæ lætatur. Insuper in repræ-
senti exuperat alias Germaniæ Urbes: siquidem
in Metropolitanâ æde, in Collegiatis Ecclesiis
S. Gereonis, SS. Apostolorum, SS. Severini &
Cuniberti: in paræciis SS. Columbæ, Martini,
Laurentii, Brigidæ, Petri, Jacobi, Joannis,
Mariæ in Pasculo, & Pauli, altaria S. Matris
Annæ habet plenius descripta in Germanicâ ^d,
historiâ Auctoris. Rursum in Religiosorum Ec-
clesiis ad SS. Panthaleonem, Martinum in Insulâ,
Barbaram, & Antonium, apud Dominicanos,
Minoritas, Augustinianos & Carmelitas, (qui-
bus addimus Alexianos à parte Aquilonari) aræ
S. Annæ refulgent. Sanctimonialium Congrega-
tiones ad S. Cæcilix, ad S. Mauritii, in majori Na-
zareth, in Mariæ horto, ad S. Apri, in S. Claræ, in
Præ-

^c Exeg. c. 55. pag. 354. & 357. ^d Historia German. e. 24. edit.
1541. Colon. pag. 242. & seqq.

Præsentatione, in Agno superiori, ad S. Elisabetham in Vico S. Antonii, & in Agno inferiori habent altaria S. Annæ, in historiâ e Germanicâ declarata; quibus addimus in pervigilio S. Matthæi anni 1484. sororibus tertiariis S. Francisci, in Sacello B. Mariæ Conventus Bethlehem, propè Gymnasium Laurentianum altare S. Annæ atque aliis similibus Tertiariis in Agno superiori, Dominicâ post S. Thomæ Apostoli anni 1504. sub eodem patrocinio, oratorium consecratum accrevisse. ADENAW Castellum Satrapix Nurenburgensis Coloniensis Diocesis, in Basilicâ S. Joannis Hierosolymitani, quæ Ordini propria est, simulque Parochialis S. Annæ aram habet sextam in locationis statione: mense Decembri anni 1500. foundationem inchoarunt Joannis Pistoris de Adenaw & Mechtildis conjuges: Executor D. Nicolaus Rachen Prior Commendæ contiguæ, simulque Pastor, cum nonnullis aliis, designatus fuit. ALDENBERG in Ducatu Montium Ordinis Cisterciensis celebris Abbatia, ex Claustro Ecclesiam ingressuris, ad dexteram exhibet altare S. Annæ. ALF pagus propè Mariæburgum ad Mosellam in Ecclesiâ S. Remigii ad dexteram ornatur arâ S. Annæ in festo S. Urbani anni 1517. consecratâ, ALF TER propè Bonnam Monialium S. Augustini domus: ALTENRUDEN territorii Coloniensis in Westphaliâ: ANDERNACI Suburbium S. Thomæ
Mona-

Monasterium: ANNÆKIRCH in Styriâ: & ANNÆBERG Ecclesia in Westphaliâ, intra Parochiam Ransdorf, sub vocabulo Ostendorpf in historiâ Germanicâ descripta, similiter S. Annæ patrocinio gaudent. AQUISGRANUM Urbs Imperialis in Menopiis, celebrem habet Collegiatam B. Virg. Ecclesiam, in cujus parte superiori vetus extat S. Annæ Sacellum, in quo per Dominicas & Festa, omnesque ferias quadragesimales, tempore Concionis divina administrari curavit Reverendus admodum ac prænobilis Dominus Henricus Theobaldus ab Einoten Decanus meritissimus. Ibidem in Foilani Parœciâ superest altare S. Annæ, atque de SS. Joachim & Annæ monasterio Ord. S. Benedicti, cum iis quæ alibi diximus, ^f Petrus à Beeck ^g testis concurrat. ARGENTINA sive Argentoratum Urbs Episcopalis in Germaniâ, antequam hæresi deformaretur, cultus S. Annæ studiosissima fuit. Ecclesiastes ejusdem, magni nominis ac Zeli vir Joannes Kansersberg anno 1510. legibus mortalium solutus, allegatæ pietatis majorum luculentum testimonium perhibet. ARWILERÆ Coloniensis Diœcesis oppido die 13. Januarii anni 1482. in Parœciâ Latere Australi, Henricus Episcopus Cyrenensis altare consecravit, Patronos designans cum SS. Petro, Sebastiano & aliis S. Annam. ATTENDORIUM oppidum Coloniense vetus trans Rhenanum in Parochiali æde habet

^f Historia Germ. pag. 241. ^g Beeck Aquisgrani pag. 230.

habet altare immaculatæ Conceptioni Virginis, ejusque sanctissimæ Matri Annæ dedicatum. AUGUSTA Vindellicorum^h Cathedralis Civitas Sueciæ, & BACHEM prope Frechen S. Annæ aris gaudent. BACHEM aliud prope Arwileram veteri sacello & BADORF prope Brulam recentiori oratorio S. Annæ decorantur. BALVE oppidum Westphaliæ aram habet. BAMBERGA Episcopalis Germaniæ Civitas per vetustam obtinet Basilicam, ab aliquot retro seculis S. Annæ titulo celebrem à Templariis cultam, quibus per Pontificem deletis Minoritæ ejus administri facti sunt. BASILEA minor simili olim æde S. Annæ effloruit, de quibus plenior descriptioⁱ alibi præcessit. BENDEN Cistertiense Monasterium prope Brulam à parte Australi exhibet aram salutiferæ crucis, atque *SS. Ioachim & Anna* honori olim consecratam. BERCA Civitas Coloniensis ad Rhenum in Paræciâ aram, nec procul inde S. Annæ sacellum sanè habuit, ubi præsidia Batavorum militum aliam faciem induxerunt. BERLINGEN sacellum in Satrapiâ Daunensi, & BEURICA Minoritica Recollectorum Ecclesia, supra Treviros, aram ante centum triginta annos per Generosos Dominos von der Ley erectam tenent. BODINGEN in Satrapiâ Blanckenburgensi Ducatus Montium, arâ à parte Australi, atque BODOBRICA sive Boppardia Civitas Rhenana in asceterio montis B. Virg. nobilium

Vir-

^h Schultingius bibliothecæ tom. 2. p. 2. ⁱ Exegetici 6. 55. p. 355.

Virginum Ordinis S. Benedicti peculiari sacello S. Annæ perfruuntur. **BOR ENHOVEN** Ecclesia supra Boppardiam in parte Aquilonari à ducentis annis, cœvum sibi altare S. Annæ, supra effigiem compatientis Deiparæ in muro consistentem, erectum habet, occasione dictæ iconis miraculis claræ continuis sacrificiis frequentatum. **BRAUWELLER** Ord. S. Ben. Monasterium celebratissimum; in propriâ toparchiâ prope Coloniâ positum, fruitur arâ S. Annæ. **BRUGA** Comitatus Flandriæ Urbs nobilissima juxta templum Jerusalem dictum, antiquâ gaudet Paræciâ S. Annæ: atque in Urbis Pomærio ^k anno 1363. Balduinus Vossius ditissimus Brugensis Mercator pro sanctimonialibus Ordinis Carthusiani, domum regularem S. Annæ exædificandam curavit. **CAMP** Parthenon candidi Ordinis ex opposito Boppardiæ Chorum habet, in pervigilio S. Joannis Baptistæ anni 1514. per Reverendissimum D. Joannem Helmstad suffraganeum Trevirensis sub honore Virg. Mariæ, S. Annæ, S. Augustini, S. Joseph, & S. Claræ consecratum. **CAMPIDONA** in Algovia alibi ^l absoluta fuit. **CASTER** Ducatus Juliarum oppidum vetustâ arâ S. Annæ fruitur, circa annum 1500. accessoriâ fundatione D. Joannis Buffi hebdomadatim sacrificiis quatuor cumulatum. **CONFLUENTIA** Trevirorum Urbs in B. Virginis Paræciâ & apud Præmonstratenses virgines Ecclesiæ S. Georgii

(recen-

^k Auberti Miræi Origines Carthusianorum.

^l Exegetici cap. 55. pag. 356.

(recentius S. Barbaræ nuncupatæ) colit altaria
S. Annæ. S. CORNELII ad Indam Monasterium
Ordinis S. Benedicti, ac proprii territorii caput,
prope Aquisgranum (in memoriâ sacri capitis
S. Annæ olim Moguntia allati) arâ eleganti ac
statis commemorationibus sanctissimam Ma-
tronam veneratur perpetuò, sicut sub finem 24.
capitis Exegetici plenius descripsimus. COS-
FELDIA in centro Diæcesis Monasteriensis ci-
vitas, milliari Westphalico proximâ, gaudet arce
Hammeren nobilissimi pro tempore stemmatis
Raisfeld: hinc duæ germanæ sorores anno cir-
citer 1470 commigrant Cosfeldiam, ubi in ædi-
culâ humili Christo sese sponsas devoentes, sub
patrocinio S. Annæ, eligunt tertii Ordinis S. P.
Francisci regulam; dein Nobilium ab Horst Con-
sanguineorum suorum impetratâ curiâ, tem-
plum excitant, anno 1490. ab Ordinario Mona-
steriensi consecratum. DOTTELEN Pagus To-
parchiæ Trifontanæ in veteri Ardennâ à partè
Boreali exhibet altare S. Annæ. DROLSHAGEN
Locus Diæcesis Coloniensis ultra Rhenanus ab
antiquo obtinet aram SS. Fabiano, Sebastiano &
Annæ sacram. DYRÆ sive Marcoduri in Menâ-
piis aram S. Annæ erectam descripsimus ⁱⁿ alibi
DYRSTENA Civitas Coloniensis districtus
Recklinghausani ad Lupiam, Monasteriensi
Diæcesi contermina, anno 1487. interveniente
dexteritate strenuorum Dominorum Raisfeld
ab

ⁱⁿ Exeget. c. 29. sub finem.

ab Ostendorpf, sub titulo S. Annæ, Ecclesiam & Minoriticum Conventum Regularis observantiæ excitat. DUSSELOPOLIS ad dexteram Rheni ex opposito Novesii, metropolis Ducatus Montium, & Regularum Juliæ sedes primaria, in Xenodochii templo ditatur arâ S. Annæ, competentibeneficio cumulat. EBERHARDI-CLUSA Monasterium Canonorum Regularium S. Augustini propè Treviros fruitur arâ S. Annæ cum antiquis foundationibus, sicut & EFFELLEN pagus in Rudensi Gograviatu trans Rhenano Diocæsis Coloniensis. EGRÆ ad Collimitia regni Bohemici, ad annum 1416. in Conventu Franciscanorum cultum S. Annæ celebrem demonstravimus alias.ⁿ ELDORF à parte Australi garget arâ S. Annæ. EPISCOPII in Parochiali æde Moguntinæ Diocæsis & ERPELII ad Rhenum supra Bonnam extant altaria antiquitus S. Annæ dicata. ERPHURTUM metropolis Thuringiæ, ante hæreses enatas cultu festico ferias S. Annæ exequi consuevit. ERWITTE Castellum Diocæsis Coloniensis trans Rhenanum & ESSENDIA ad collimitia Marchiæ Westphalicæ Civitas in æde S. Joannis Parochiali, aliquot retrò seculis altaria S. Annæ habuerunt. De FRANCOFURTI ad Mœnum Confratriâ & Lipsanis S. Annæ suis locis agitur: nec laude vacare debet, quod illustre panegyricon olim de SS. Joachim & Annâ à Rudolpho Agricola conditum, P. Rumul-

ⁿ Exegetici cap. 55. pag. 360.

muldus Laubach Prior Carmelitarum ibidem, Majo mense anni 1496. sumptu Theodorici de Pleningen marmori insculptum, in navi Conventualis Ecclesiæ, muro lateris Borealis inferendum curaverit. FREDÉBERG districtus Colonienfis in Westphaliâ à parte Aquilonari aram S. Annæ colit. FULDÆ in Buchoniâ duo sunt celeberrima S. Annæ altaria: alterum in summi Templi Choro Orientali B. Virginis Mariæ ad latus dexterum, quod anno 1646. Sodalitium S. Annæ suis sumptibus admodum eleganter & venustè depicto, inauratoque pigmate instauravit: Alterum ad latus sinistrum Chori templi S. Petri Apostoli, apud Patres Societatis Jesu. Urbi imminet Marianus mons, ubi Franciscani strictioris observantiæ Theologica & Philosophica studia fovent, atque Ecclesia à parte Boreali aram S. Annæ exhibet. S. GALLI Civitas in Helvetiis à veteri S. Annæ cultu celebratur. GERLINGEN propè Ruden in Westphaliâ & GEROLDSTEIN castrum proprii Comitatus in Ardennâ, nec non HAGENBECK arx propè Durstenam, clarent vetustis S. Annæ sacellis. HALBERSTADIIS in circulo Saxonico, Ecclesiæ Minoriticæ à parte Australi ab aliquot retro seculis adhæsit consecratum Sacellum S. Annæ, quod Patres strictioris observantiæ integrum hæcenus conservant. HARLEMI in Hollandiâ, ante enatas hæreses, Conventus tertii Ordinis

N

nis

● Schulting. bibliothecæ tom. 2. p. 2.

nis S. Francisci sub titulo S. Annæ effloruit. HASSELETUM Germanici idiomatis celebre oppidum, in Loffensi Comitatu Episcopo Leodiensi subditum, Sacello S. Annæ fruitur, in quo ad ejusdem honorem hebdomadatim missa decantatur. HEIMBACH oppidum veteris Ardennæ supra Nideggium: Paræcia HEISTER prope Lintz in veteri S. Annæ Sacello, atque HERCULIS CASTRA in extremitate Ducatus Juliarum Civitas nominatissima, gaudent aris S. Annæ, & hæc quidem à parte Australi, cum fundatione sacrificii feriis tertiis hebdomadatim explendi. HOEKESWAGEN infra Wiperfurdam Castellum montanum, quondam Toparchia absoluta, postea Ducatus Montium Cognominis Satrapiæ Caput, in Parochiali æde versus Septentrionem, supremum ostentat altare S. Annæ cum contiguo sepulchreto N. Comitis in Waldeck, Domini in Hockeswagen. HONNINGENSIS in Coloniensi Archidiæcesi paræcia, titulo patrocini ejusdem & arâ gloriatur. HORN sub Erwittensi Satrapiâ in Westphaliâ & INSULÆ Rhenanæ supra Confluentiam, Ordinis S. Benedicti sanctimonialium nobile Ascetion ab anno 1539. aris S. Annæ ditantur. KEMPENA inferioris Archidiæcesis Coloniensis civitas, Orthodoxæ fidei semper tenacissima, in Basilicâ B. Virg. Parochiali, à parte Aquilonari Sacello cum altari S. Annæ condecoratur, cui anno 1516. venerabilis Dominus Joannes Ingenholt

holt Vicarius perpetuus existens Romæ 18. Aprilis sub duodecim Cardinalium sigillis certas indulgentias acquisivit. Sacellum Tertiariarum S. Francisci ibidem, anno 1484. titulo S. Annæ consecratur. KERSENBROCH infra Novesium toparchia. KILVEL in Satrapiâ Daunensi; KIRCHELDEN in Satrapiâ Bilstein TransRhenanâ: KIRMISCH in Satrapiâ Nurburgicâ: KNECHSTEDEN Præmonstratense monasterium infra Coloniam: KOCHEMIUM oppidum ad Mosellam: KONIGSDORPF in Coloniensi Diœcesi nobile Ordinis S. Benedicti monasterium, & LENDERSDORPF Parochia amplissima propè Marcodurum, à multis retrò temporibus altaria S. Annæ possident. LIMBURGI ad Loganum in occiduo nemore apud Guilhelmitas cultus S. Annæ antiquissimus paragrapho 31. num. 7. refriticabitur. LINTZ supra Bonnam oppidum Rhenanum in vetusto sacello, arâ S. Annæ fruitur. LIPSTADIUM Westphala Civitas, Comitatus Lippiensi contermina, sub titulo Roseti S. Annæ, Parthenone Canoniarum Regularium S. Augustini à majoribus decorata, gaudet sacello & arâ primâ S. Annæ dicatis: quomodo Moniales frustra circumfremetibus hæreticis, in Orthodoxâ fide perstiterint atque eandem persecutores ultio divina apprehenderit cumulatus ex Arnolde Meshovio P, advexit historia auctoris Germanica. LORRICH oppidum

N 2

dum

p Meshovius pag. 27. & 30. vitæ Caspari Ulenbergii.

dum Moguntinum ex opposito Baccharaci:
 LOVANIUM Urbs Nobilis Brabantia in Por-
 cetensi Collegio: LUCERNA^q, quondam Ca-
 tholicissima Civitas in Helvetiis, atque LUDERS-
 DORPF oppidum Rhenanum infra Rhenum an-
 tiquitus aras S. Annæ acceperunt. MAGUNTIAE
 ad Rhenum vetustus S. Annæ cultus & altaria
 apud Carmelitas & Dominicanos perseverant.
 MANNEBACH in Saræburgensi Satrapiâ facel-
 lum vetus stans, fixisque vicinarum Parochia-
 rum supplicationibus annuè frequentatur.
 MELRICKE Toparchia prope Lipstadium ali-
 bi^r describitur. METIS ad limites Ducatus Lu-
 xenburgici & ^f MINDÆ atque MONASTERII
 Urbibus Cathedralibus in Westphaliâ vetustus
 S. Annæ cultus cum laude tribuitur. MONICK-
 HAUSEN sub Gesckensi Gograviatu in Colo-
 niensi Diœcesi, & MONS Thaborinus Treviren-
 sis territorii oppidum in occiduo Nemore in fa-
 cello FF. Minorum strictioris observantiæ aras
 S. Annæ colunt. MULFINGEN locus in conter-
 minis Franciæ Orientalis ædiculâ vetustâ S. An-
 næ gaudet, ad quam exeunte autumno anni
 1646. fons salutaris exortus concursu & voce
 vulgi celebrabatur; veritatem facti ex authen-
 ticus documentis necdum scire datum fuit. NE-
 DERAUSHEIM prope Tiberiacum oppidum
 Juliacenso ad Arnapham situm, anno 1501. do-
 natur

^q Schulting. biblioth. tom. 2. p. 2.

^r Historia Germ. ubi supra.

^f Schulting. ubi supra.

natur arâ S. Annæ. NEDERHEHE pagus Toparchiæ Kerpenſis in Eufalia. NEDERZIRN propè Marcodurum, NEHEIM in Weſtphaliâ territorii Coloniensſis: NIGRA PALUS, vulgo Schwarzenbroch / Monasterium Cruciferorum juxta Marcodurum: NIVENHEIM in Hulchiradanâ Satrapiâ. NOVESIUM in Collegiatâ S. Quirini Eccleſiâ. OED pagus Coloniensſis infra Kempenam, & OLEPE in districtu Coloniensſi ultra-Rhenano altarium S. Annæ patrociniolætantur. OPENHEIMIUM (Ethnicorum Baconica) Urbs Imperialis ſupra Maguntiam (Comiti Palatino Rheni quondam oppignorata) ad portam Piſcatoriam, æde S. Annæ cum annexo Rectoris habitaculo à majoribus ornabatur, ſed heterodoxa poſteritas, relictis parietibus rem ſacram vaſtitati addixit. OSNABRUGA Urbs Cathedralis ad Haſam in Weſtphaliâ: POILLEM in Diœceſi Coloniensſi pagus Juliacenſis, Satrapiæ Berchemenſis: PORCETUM juxta Aquisgranum Ordinis S. Benedicti nobile Monasterium: QVADRATUM ſupra Novesium, vulgo Quadraid: RHENI METTRICUM propè Confluentiam in Paræcia: RELLINGHAUSEN, propè Effendiam, Nobilium Canoniarum Eccleſia: ROMERHAGEN in Waldenburgenſi Satrapiâ Coloniensſi territorii ultra-Rhenani & RYDEN non procul inde: SARÆBURGUM oppidum ſupra Treviros. SCHMALENBERG ultra-Rhenani territorii Coloniensſis: SCHON-

HOLTHAUSEN sub Judice Schleiprudensi, & SCHWARTZREINDORF Collegium Nobilium Virginum ex opposito Bonnæ, aris & facellis vetustis S. Annæ glorientur. SEFLINGA Ordinis S. Claræ illustre Monasterium Ulmæ in Sueviâ Imperiali Urbi imminet: ibidem juxta Sanctimonialium templum anno 1571. R. D. Maria Cleophæ à Reuschag Abbatissa, nomini S. Annæ peculiare Oratorium excitavit, SINTZIG in Basilicâ per Helenam Constantini matrem sumptuose sublimatâ sub Australi fornice exhibet altare S. Annæ. SPIRÆ S. Annæ aram anno 1272. extitisse historia Germanica ex alio Scriptore commemorat: de quâ tamen Guilielmus Eisengrein^t sic loquitur: *Anno 1303. consecratum est altare S. Annæ matris Mariæ virginis, in Cathedrali Nemetum templo, à Reverendissimo in Christo Principe ac Domino D. Magistro Petro Episcopo Basileense &c. presentibus Illustrissimo Principe ac Domino D. Alberto Romanorum Rege, qui idem altare construxit & dotavit &c. Henrico de Clingenberg Constantiensi Episcopo, Gebhardo Moguntino, Sifrido Curiensi, Conrado Eystettensi ac aliis Principibus ac Baronibus presentibus. Fructus ejusdem altaris memoratus Chronologus^u alibi sic aperit: *Insurgit in famosissimi templi hujus medio, ara beatissime Annæ matris Theotocos virginis, inter ceteras nec minima censenda, cum indies sacrosancta & augustissima Christi mysteria,**

^t Eisengrein lib. 14. Chronici Spirensis.

^u Eisengrein fol. 34. ejusdem Chronici.

divi-

*divinaque munera reverenter septenis, quandoque
novenis vicibus in hac contrectentur.* STOCK-
HEIM in territorio Schleiprudensi & SUNDE-
REN in Comitatu Arensburgensi Diæcesis Co-
mitatu Arensburgensi Diæcesis Coloniensis ul-
traRhenanæ, THANDEL filialis, Ecclesiæ Theo-
nis villanæ Paræciæ, in Ducatu Luxemburgico,
altaribus S. Annæ instructa sunt. TREVIRO-
RUM AUGUSTA Urbs Metropolitana ad Mosel-
lam, in summâ æde, in contiguâ quoque B. Virgi-
nis Ecclesiâ, in Collegiatâ S. Paulini in S. Maxi-
mini Ordinis S. Benedicti & Carmelitarum tem-
plis, similia obtinet altaria: Sacella itidem duo
alterum in foro equestri à Nobili Matronâ de
Fransberg excitatum, atque à Domino Officiali
ab Hagen locupletatum; Alterum verò Sacel-
lum PP. Benedictinorum ad SS. Martyres intra
mœnia Treverica domesticum, ipsis feriis S. An-
næ piis fidelibus pervium patet. TRUDONO-
POLI in Brabantia Ecclesia Minoritica patroci-
nio S. Annæ fruitur. VALVIG mons primo la-
pide supra Kochstein & VELMEDE in West-
phaliâ, altaria habent. ULMÆ in Sueviâ, hæresis
delevit Tertiariarum S. Francisci Conventum ad
S. Annam & alterum ejusdem professionis & pa-
trocinii in Progitz indigitatum. URDINGA op-
pidum Coloniense infra Novesium in parœciâ
vetusto claret S. Annæ sacello. WARSTEN in
Westphaliâ aram habet & WETZFLARIA in
ambitu Claustri Minoritici Aquilonari similem

olim habuit ab hæreticis rasam. S. WENDELINO supra Treviros suburbicum facellum S. Annæ, opere ex forti lapide quadro constans, adhæsit, cujus cæmeterium muris incinctum ostentat lapideam Cathedram, frequentissimæ sub dio concioni antiquitus accomodam, & aliud vetustissimum facellum pagi WIDENBACH Parœciæ Kesseling in Aldenarenfi Satrapiâ, anno 1636. ampliatur & renovatum fuit. WIDLICH Trevirense oppidum in Ardennâ veteri. WIENA W Candidi Ordinis Monasterium nobile prope Marcodurum, & YPRIS in Flandriâ Conventus Minorum Recollectorum aris S. Annæ decorantur.

3. Egimus hætenus de Locis venerabilibus, honori magnæ Matris nuncupatis, in quibus ejusdem iconem aut picturas exhiberi solemne esse solet. Et quoniam sub typo mulieris fortis Matthias Faber supra §. 27. n. 3. paulo ante nobis repræsentavit S. Annam potentem, gerulam duarum gravissimarum prolium JESU & MARIÆ de suis visceribus mediate & immediate descendentium: visum est non abs re, corollarij loco benedictam hujusmodi triadem sequenti onomasticho donari posse.

JESUS, MARIA, ANNA.

Anagramma.

SEMINA, ARA, NAVIS.

SEMI-

SEMINA sunt ANNÆ, IESUS, Virgoque
MARIA,

ARA mihi IESUS, virgo MARIA ratis.

SEMINA Tartareo caput obtritura colubro

ANNA Parens tua sunt Nata, Neposq; tuus.

Huc peccator ades, nihil hac divinius ARA,

Quæ fuit, & cunctis ARA salutis erit.

Estque MARIA ferens extremis NAVIS ab
Oris,

Panem, qui mentes exsaturare potest.

Hanc homo scanderatem, panem pete, confuge
ad ARAM,

ANNÆ sacra tuo SEMINA conde sinu.

Neu caro, neve Sathan noceat, neu mundus, id

ANNÆ

SEMINA sacra suis, NAVIS & ARA
dabunt.

4. Coincidit historia notissima, quod Sibylla
Cumana Octaviano Cæsari, ex monte Aræ-cæ-
litano Romæ ostenderit in corpore solari virgi-
ginem speciosam cum puero in gremio, dicens:
Hic puer major te est, unde mox applausu Cæsaris
monti nomen inditum: HÆC EST ARA COE-
LI. Nicephorus lib. 1. histor. c. 17. Middendorp.
acad. lib. 3. tit. de spe. Bald. Junius p. 1. chronici
moralis.

DE RELIQUIIS SS. IOACHIM
& ANNÆ. §. 30.

DE *Jerusalem exhibunt reliquia*, Isaïæ 37. *Disperdam de loco hoc reliquias*, Sophon. I. & Zachariæ 4. *Possidere faciam reliquias populi hujus*: quæ loca sacræ Scripturæ oportuna, majores nostri^a applicarunt ad reliquias Corporis Christi Salvatoris, atque nos extendere poterimus ad suos secundum carnem majores, SS. Joachim & Annam, & eorum reliquias olim Hierosolymis reconditas, uti cap. 15. Exegetici demonstravimus.

2. Reliquias sacras in naturâ suâ specificâ contuemur oculis, manibus palpamus: consideramus autem ut sunt talium personarum, eas in illis apprehendendo, unde dignæ non modo sunt eâ veneratione vulgari, quam filius Patri, aut amicus amico, inferior superiori defert, quâ & annulum, & vestem paternam, pro affectu libenter gestamus, sed insuper religiosâ, quæ plus quam civilis sit, considerando eas altius, relative videlicet per earundem contactum aut visum, intentionem nostram ad ipsos Sanctos, quorum reliquiæ sunt referendo. Sic enim eodem cultu eas prosequimur, quo Sanctos ipsos, atque idem beneficium, eandemque virtutem his mediantibus assequimur, quam per ipsos Sanctos consequeremur. Totus autem hic cultus ex fide & chari-

^a Beyerlinck Theat. tom. 6. pag. 288. edit. 1631. Colon.

charitate erga Deum proficiscitur, propter quem Sanctos, & ea, quæ circa illos sunt, honoramus, & quantò major fides & dilectio erga Deum, ejusque Sanctos, eo major erga Reliquias cultus & devotio; quam devotionem uti & fidem erga se, crebris miraculis Deus confirmat, & fideles ipsi suam erga eundem fidem sacrarum reliquiarum veneratione religiosâ exercent & testantur.

3. S. Petri transeuntis umbra sanavit infirmos, Act. c. 5. Et eodem nomine S. Pauli sudaria, & semicinctia describuntur, Act. 19. c. quemadmodum etiam simbria Christi sanitatem causavit mulieri Hemorrhoiis, ardentem magnâ fide eam tangenti, Matth. 9. Novimus quam religiose cultu soleant Treviris atque Aquisgrani recondi, atque fidelibus exhiberi, tunica Christi atque fasciæ, quibus infans involutus fuit: an non ergo dignum ut majori fideles fervore rapiantur, ergo SS. Joachimi & Annæ Lipsana corporum, de quorum filiâ unigenitâ ipsi filio Dei carnem assumere complacuit.

4. Dum autem ad specificam enumerationem accingimur, præmonendo refricamus, vocabula capitis & brachii per Synechdochen, hoc est, partem & non totum accipi debere. Operosam autem quantum possumus designationem damus, ut veterrimus SS. Joachimi & Annæ cultus atque ipsamet loca magis inclarescant. Imprimis itaque S. Joachimi caput, ceu illustrem thesaurum

rum, preciosè recondunt Sanctimoniales Benedictinæ ad SS. Machabæos Colonia Agrippinæ. Corpus sancti Patriarchæ à Constantini Matre Helenâ Hierosolymis relictum esse, cap. 15. Exegetici recitavimus, de cujus partibus plura licebit referre, quando Dei bonitas concesserit, ut veritas filia temporis. plura denudet.

5. S. Annæ sacras reliquias commemorando, absque præjudicio cujuscumque, sequendo Ordinem ABCdarium, ordiemur ab AGRIPPINA COLONIA nostrate Metropoli, multis nominibus celeberrimâ, in quâ brachii partem adscribunt PP. Carthusianis, fragmen costæ, Benedictinis ad S. Panthaleonem, Cranii, sive ut Petrus Mersæus loquitur, Scapilii partem, Minoritis Conventualibus, Pollicem, Dominicanis, tibie particulam, Minoribus Recollectis. Præterea Collegia S. Gereonis & Cuniberti, Equites Teutonici ad S. Catharinam, Parœciæ S. Martini Minoris, & S. Albani, Regulares Antonitæ, Carmelitæ & PP. Societatis JESU, Moniales verò ad SS. Macchabæos, ad S. Maximinum, ad S. Gertrudem, in Sion, in majori Nazaretho, in Agno Castrensis muri, in Bethlehem, apud Capucinissas quoque, & Alexianas ad S. Elizabetham, omnes de sacro corpore participant: Theresianæ monialis Mariæ duo fragmina costarum obtinent. Testantur præmissa *Petrus Mersæus* Catalogo Archiepiscoporum Colonensium, & ex eo *Lucas Waddingus* anno 1384. n. 3. *Erhardus Weinheim* in sa-

in sacrario Agrippina. Beyerlinck theatri tom. 6. edit. 1631 Colon. pag. 277. 279. & 282 Suffay in martyrologio Gallicano. Gelenius in sacrario & Colonia^a supplice, testes quoque oculati.

Aillonii in Provinciâ Conceptionis apud Conceptionistas: In Andecensis montis in Bavariâ Sacrario, in argenteâ S. Annæ statuâ, à Frederico Saxonum Duce collatâ, atque Antiquæ Mellariæ in Provinciâ Angelorum apud Conceptionistas, diversa fragmina asservantur. Antwerpia pars costæ humeralis apud PP. Societatis Jesu: & Aptæ Iuliae Vulgiensium sub Metropoli Aquensi scribit Andreas du Suffay^b Parisinus, in Gallicano Martyrologio, S. ANNÆ corpus à fidelibus coli pridem illic conditum: Aquisgrani in monasterio S. Annæ apud Benedictinas: Atelati in Galliâ: Avdomaropoli in Arthesiâ, etiam S. Annæ reliquiæ asservantur argento, auroque quibusdam in locis decenter vestitæ. Barbara Insula prope Lugdunum habet Monasterium Ordinis S. Benedicti, ubi (referente^c Trithemio) in capellâ vetustissimâ corpus beatissimæ matris Annæ, cum multâ reverentiâ populi quiescit: quam S. Longinus miles Christi primum fundasse dicitur, & pretiosissimas illas reliquias ab Hierosolymâ secum deferens in eadem collocasse. Hujus rei in dicto cœnobio antiquissima monumenta reperiuntur. Ita Trithemius. Besselich infra

^b Suffay VII. Kal. Aug. ^c Trith. cap. 4. de laud. S. Annæ. Con-

Confluentiam ad S. Remigium & Boppardiam ad S. Martinum suburbicum, loca sunt martyrum sanguine olim Deo dicata^d habentq; intra Asceteria Monialium tertii Ordinis S. Francisci reliquias S. Annæ. Bleibenbech mons sacer est ad Mosellam, & Bonna Residentia Electoralis supra Coloniam, ubi in Monasterio vallis Angelorum etiam habent aliquot particulas de S. Annâ: atque inquilinæ religiosæ Ordinis S. Augustini ex inveteratâ traditione feriis tertiis accendunt tres cereos, & tres cibant pauperes, in festo autem S. Annæ passim ferè per claustrum cerei collucent. Bruxellis in Sacello Castri Archiducalis pars calcanei: Carnoti (juxta martyrologium Gallicanus) S. Annæ caput in gloriosissimâ basilicâ sanctissimæ Dei Genitricis ex dono Ludovici Blesensium Comitis repositum, summo etiam quo decet honore observantur. Confluentiæ ad S. Barbatam & S. Martinum in monialium Conventibus sunt etiam petiæ de S. Annâ. Castellum bonum Civitas Siciliae in Sacello Castri gaudet etiam portione insigni de S. Anna. Duaci in conterminis Flandriæ apud S. Amatiædem honoratur pes S. Annæ. Dura, Cornelio Tacito Marcodurum, (Regi novi Prumiensi Duria castrum) aliis Durenum inscriptum, per bullam Julii II. obtinuit caput S. Annæ: Sussay^e in martyrologia habet: apud Durenum oppi-

^d Crombach in Ursulana historia.

^e Sussay VII. Cal. Augusti.

oppidum Diæcesis Coloniensis susceptio capi-
 tis ipsius ex Moguntiâ. De intellectu horum ver-
 borum plenius tractarunt Exegeticon Histori-
 cum & ejusdem Auctoris historia Germanica.
 Ibidem in Bethaniensi Conventu apud Minores
 Recollectos inter SS. Auxiliatorum reliquias,
 particulæ de S. Annâ adjunctæ sunt. Dussel-
 dorpii ad Rhenum in Collegiatâ B. Virg. Eccle-
 siâ & in sacello Hospitalis: Eberardi-clusæ
 prope Treviros: Erpelii supra Bonnam atque
 Essendiæ prope Durstenam in Collegiatâ Ec-
 clesiâ etiam ejusdem sacræ reliquiæ asservantur:
 Francofurti apud Carmelitas pars brachii &
 apud Dominicanos petia quædam de S. Anna
 suppetunt: Gandavi apud Dominicanos:
 Heinsbergæ S. Gangolphi Collegiata Eccle-
 sia^f antiquitus notabili parte de S. Annâ conde-
 corata fuit. Insula Rheni supra Confluentiam
 & infra eam atque Konigsdorpf Ordinis S.
 Benedicti ac S. Bernardi Sanctimonialium mo-
 nasteria asservant pretiosas particulas. Kem-
 penæ in solemnî Capsâ, literâ I signatâ, recon-
 ditur pretiosa portio. Malta sive Melitenis
 Insula equestris Ordinis S. Joannis asservat ma-
 num S. Annæ ex Rhodo translata: Mons
 Marianus sive Conventus S. Mariæ de Monte,
 qui in Provinciâ Genuæ Ordinis Minorum Ob-
 servantiam primus est, habet sinistrum S. Annæ
 bra-

^f Beyerlinck tom. 6. pag. 290.

brachium, teste Francisco Gonzaga in suâ historia Seraphicâ. Messanæ in Sicilia, Abbatia S. Salvatoris gloriatur nervis manus S. Annæ. Neustria particularis dives est: Noriberga Urbs Imperialis, teste Beyerlinck, à tribus seculis recondit cubitum S. Annæ: Nursitæ in Flandriâ Benedictini tenent crepidam S. Annæ. Oreti Asturis in Hispaniæ regione: Oliveti Campsanæ diæcesis, in cænobio S. Mariæ de Paradiso, sunt etiam particulæ. Romæ asserit Antonius Sanctarellus ^g, inter reliquias in D. Pauli æde brachium S. Annæ matris immaculatæ virginis, & partem unam apud S. Mariam ab Arâ cæli, aliam apud S. Marcelli conservari: M. Attilius Serranus ^h refert in Ecclesiâ S. Pauli brachium cum pollice S. Annæ matris B. Mariæ inclusum brachio argenteo, & in S. Mariâ majori etiam de reliquiis S. Annæ superesse. Herman. Bauing in Itinerario Romano & Beyerlinck eadem theatri tom. 6. pag. 299. & 301. confirmat; licet unicus Maurolycus ⁱ sanctorum Petri & Pauli in Urbe ædi illud brachium adscribat. Rothomago in Galliis Sausayus ^k attribuit translationem reliquiarum S. Annæ. Rutilæ ad Mosellam in Cartusiâ S. Sixti prope Siricum Lotharingiæ oppidum asservantur duo partes brachii S. Annæ, quæ in Monstrantiis argenteis altario imponi solent:

Sal-

^g Santarel. de Jubil. c. 17. dub. 2. ^h Serran. de septem Urbis Ecclesiis. ⁱ Mauroly. in Catal. de reliquiis Italiæ. ^k Sussay ad VII. Cal. Augusti.

Salsini prope Namurcum in Cisterciensi Abbatia: Trajecti ad Mosam in B. Virg. Ecclesia: Tornaci in Cathedrali Basilica similes sacrae reliquiae manent. Treviris in ostensione reliquiarum Metropolitanæ Ecclesiae brachium monstratur: atque ibidem suburbico illustri Ordinis S. Benedicti ad S. Maximinum monasterio, brachium S. Annae assignat vetustus Catalogus impressus reliquiarum ejusdem loci. Ibidem ad SS. Martyres & ad S. Matthiam ejusdem professionis religiosi etiam particulas obtinent: quae etiam felicitate gaudent ad S. Mariam Magdalenam Clarissae, juxta id quod die 3. Aprilis anni 1503. ex Urbe Brunsviga, sua Syngrapha certificavit Johannes Capet Ordinis Minorum de Observantia SS. Theol. Doctor, ¹ & Sedis Apostolicae auctoritate Reverendissimi Domini Raymundi Cardinalis Gurcensis, de latere Legati Nuncius. Vlissibonae Urbi Lusitaniae per celebri Veron partem brachii: Vrsicanensi Abbatia in Diocesi Noviodumensi, partem capitis S. Annae, & Zantis Carthusiae, etiam partem brachii alii annumerant.

6. De praememoratis reliquiis videri possunt Franciscus Gonzaga in historia Seraphica: Rikelius principio Commentarii in Pantateuchum Coloniae proci. Veron triumphi lib. 5. c. 15. Weinheim, & Gelenius locis supra relatis. Joannes Scheemannus in epitome Trevirorum

O

Chro-

¹ Archivum Conv. S. Sebastiani Confluentiae.

Chronologicâ. Beyerlinck tomi 6. lib. 16. pag. 280. 283. 284. 288. 290. 297. 299. & 301. Aubertus Miræus in Fastis Belgii. Maurolycus, Arturus à Monasterio, in Martylogio Franciscano & alii multi.

7. ZONAM B. Virginis, gloriosè sibi con-
vidunt, Roma, Colonia Agrippina, Aquisgra-
num, Suessiona: Testantur id *Beyerlinck pag. 281.*
286. & 301. Saussay pridie Cal. Septemb. Carthagena
lib. 18. hom. 9. n. 15. & homil. 11. n. 4. deinde viris
Ecclesiasticis sat superque pervium est, quod SS.
Patres miris laudibus Zonam Dei parentis Ma-
riæ concelebrarint. Jam hinc sumpto argumen-
to transeamus ad ZONAM B. Annæ & quidem
argenteam auro vestitam, persuasione vulgi, in
nostrate Germaniâ plus satis decantatam, quam
plurimi verè æstimarunt eam, quâ diebus suppli-
cationem solemnissimarum pectorale ejusdem
Divæ in thensis firmatum, circumvolutum con-
spicitur, unde passim proverbii loco Zona B. An-
næ audiit, adeoque tenaciter hæsit ut simplicibus
quibusdam rei veritas instillari nequiverit. Ve-
runtamen cum Sancti laudibus falsis non dele-
tetur, candidè veritatem accipito. Sub annum
gratiæ 1550. Petro à Gressenich ex nobili sede
Gressenich Trevericâ propaginem trahenti, vin-
culo matrimonii colligata fuerat Domina Sybil-
la de Vianden, è primoribus Castellanis Scleidæ
ac arcis Heystad feudatariis, orta, quæ cum an-
num in matrimonio decimum sterilis moleste
suf-

sufferret, voto ad S. Annam concepto, eidem pro anathematis dicat sponsalitia jocalia, splendidum scilicet Rosarium quinquaginta granorum argenteorum, sex granis inauratis distinctum, ad collum pectoralis S. Annæ manu artificis firmatum, præterea Zonam nuptialem ante descriptam, cui postmodum ejusdem Sybillæ Surculi, (tacitis aliis hæud vulgaribus donariis) in gratum fructus relati memosynon in lamellâ argenteâ formæ ovalis, connecti procurarunt arma gentilitia Gressenich & Vianden. Mater illa jam tum recens (ut mox dicemus) conceperat propositum aliam quoque de S. Annâ missæ fundationem, constituendi, quam postea, ob causas, juxta solemnes tabulas ipso S. Remigii anni 1617. diversis sigillis firmatas, transtulit latissimè ampliatam ad certa officia, ad aras B. Virg. & B. Annæ in Collegiatâ Ecclesiâ S. Gereonis Colonia præstitutis temporibus exsolvenda, pro solario annui Lensus è summâ quingentorum dalerorum capitali annuè promanantis. Priora votiva oblata anno Christi 1569. Domino Joannè von der Arck Consule, à Domina Sybillâ antedictâ completa fuerant; quæ mox fœcundabatur, atque anno sequenti D. Matthæo Mockel Consulem agente, mater efficiebatur unicæ proles fœmellæ sibi cognominis; quæ ubi adolevit, nuptui tradita est primùm Petro à Bergh, Ducatus Juliæ Erario & Quæstori in Norvenich, itidem Scabino, postea & Consuli Marcòdurano, unde ena-

O 2

tæ pro-

tæ proles duæ: Filius Amplissimus & Clarissimus Dominus Petrus à Bergh Juris utriusq; Doctor, Scabinus & Exconsul Marcoduranus, & Filia Sybilla à Bergh nuper Nobilis, Amplissimi & Clarissimi Domini Bernardi à Puteo Jurium Doctoris, Comitæ Palatini, Scabini itidem & Exconsulis Marcodurani meritissimi vidua. Proles hæ duæ matris, aviæque remoram fœcunditatis, multo cum fœnore, hoc est, copiosâ sobole abundè compensarunt. Ist hæ origo summaque observationis, cultusque singularis Zonæ S. Annæ (spe fœcunditatis) eidem dicatæ.

8. Revertamur ad Lipsana commemorata, quorum consideratione credere poterimus, illa ex Syriâ & Græciâ in Europæum orbem mirâ supremi numinis providentiâ, pro priorum solatio devoluta esse. Equidem hujusmodi conceptui inhærendo carptim attingere condecet, quod doctissimus vir Laurentius Beyerlinck, qualescunque sacras Reliquias aperiendo, à Germaniâ superiori initium faciens, principe loco Coloniâ Agrippinam statuerit, inter Metropoles amplissimi regni Germaniæ, quo ad fidei constantiam atque reliquiarum thesaurum magnificentissimam: Sanctorum agmina mænibus inhærentia olim visa fuere Urbem protegere: atque unde hæctenus in universali Imperii Romano-Germanici vastitate, illam aliter immunem persistitisse credemus? Proinde *crepant lapides platearum tuarum Colonia, si qua intra te tanquam*

m VVeinheim in præfatione Sacrarum.

San-

Sanctuarium Sancti tui operati sunt, tacueris. Participent obsecro de te, sicut tu de illis participasti, honorata re honora, ad amata redama, lauda Dei cooperatores, invoca tuos patronos: tota in linguas conversâ voce laudis sonora cum iubilo, Ambrosiana Hyblea eructa, quatenus Deus in Sanctis laudetur, & piorum mentes tam dulci nectare illecta tecum pariter in laudibus resonent.

De Miraculorum Fide & Præstantiâ. §. 31.

Carthusianus anonymus^a tractatui suo frequentem imponit coronidem. Partem quam pollicitus sum finalem prosequenti, de miraculis S. Anna, revera tot mihi occurrunt ac tanta nova & antiqua miracula, quod omnia ipsâ prorsus enarranda non facile dixerim: Nam citius mihi tempus deficeret quam copia scribendi, & quia sunt plerique qui miraculis detrahunt, & ego brevis esse volui in opere, ne offenderem legentes, ideoque strictim compendiosè que nonnulla hic ponere decrevi. Legimus siquidem per invocationem S. Anna, viros ac mulieres, juvenes ac senes, à magnis tribulationibus sæpe liberatos, à periculis erutos, & in necessitatibus mirabiliter adjuutos; multos etiam utriusque sexus homines, à gravissimis tentationibus carnis & spiritus, meritis S. Anna comperimus liberatos: alios etiam in paupertate & egestate constitutos, abundè provisos, & nonnullos à gravi cala-

O 3

mitate

^a Carthus. tract. de Frat. S. Annæ & Pontan. tom. 4. biblioth. in festo S. Annæ.

mitate curatos. Quis proinde enumeret quantos à pessimâ desperatione ad spem misericordiae perduxit? quantos etiam à peccari consuetudine ad poenitentiae semitas reduxit, quantos denique in devotione & religione tepidos, igne divini amoris inflammavit, & quantos ad charitatem veram fidemque rectam & spem perduxit? ipsius etiam meritis & suffragiis, mulieres in partu laborantes à periculo sunt liberatae, alii quoque à vinculis & carceribus erepti: nonnulli autem à morte ad vitam sunt revocati. Anna siquidem in tribulatione laborantibus invocata subvenit, erigit pusillanimitatem, peregrinantes ad patriam reducit, clamantes ad se exaudit, vitae necessariam tribuit, bonam & honestam famam & facit & custodit. Ipsa denique quosdam ab imminentibus periculis liberavit, & nonnullos ab infamiae opprobrio custodivit: dolores etiam mitigat, & demones fugat. O mulierem sanctam, matrem piam, dominam omni honestate & virtute plenam! quis ejus laudes, praeconiaque enarrabit? Enimvero tot ipsius reperiuntur beneficia, quot sunt humanae vitae incommoda, tot etiam & tanta ejus extant miracula, ut si ea scribere voluissem, opus nostrum in longum extendissem, & radiois fuisset onerosus lectoribus. Jam vero ex multis miraculis paucissima reponens, affero quidem studiosis & devotis occasionem plura cogitandi, sed fastidiosas ansas de nego calumniandi. Multa revera sunt & magna Annae matris genitricis Mariae miracula, quae fide sunt dignissima, & hominum memoria

morie tradita: veruntamen sancta & pia mater Anna non propter miracula nobis est colenda, ne mercenarii videamur esse aut simus, sed propter Deum, propterque ejus pietatem magnam & mirandam virtutem, veneranda est.

2. Trithemius Abbas^b postquam in effectu eadem beneficia enumeraverat sic concludit: De omnibus verò quæ in genere commemorando duntaxat perstrinximus: exempla specialiter facta in promptu habemus: quibus non incerta scribere, sed facta in veritate possemus enarrare. Verum non est nostri propositi historiam texere: sed Laudes Divæ matris Annæ, quantâ poterimus simplicitate, declarare, neque etiam propter miracula colendam dixerim, sed propter ejus in Deum pietatem. Tot ac tanta de beatâ Matre Annâ mihi innotuere miracula, ut si omnia vellem scribere, cogerer hunc tractatum nimium ampliare. Omnium miraculorum maximum est, si meritis ejus compunctionem veniamque peccatorum nostrorum mereamur accipere, si malam consuetudinem vincere, si ad æternam vitam pervenire: in hunc finem nobis & non in alium colenda est. Ita Trithemius tract. de S. Annæ Laud. Moguntia anno 1494. pervulgato, anno autem sequenti specialem de miraculis librum edidit, quæ cum aliis Exegetici 18. cap. expressa sunt,

^b Trithem. in fine c. 14. de laud. S. Annæ.

3. Pro confirmatione specialium miraculorum, ab aliquot retro seculis de S. Annâ per varios Scriptores vulgatorum, ut Sciolis quibusdam satisfiat, oportune nobis introducendus videtur Episcopus Herbronensis Fridericus Fornerus beneficiorum miraculorum Virg. Deiparæ Weyerensis, lib. I. c. 32. dicens: *Si ex eo capite quod miraculorum relatio, quandoque nominum, locorum, statuum, personarumque circumstantiis careat, Scioli aut hereseos labe infecti Zoili improbent, quid de compluribus Christi Domini miraculis, quorum paucissima præter Lazari, filia Archisynagogi, vidua Naimitana unici, suscitationem a mortuis, & Bartimæi cæci sedentis in viâ Hierichuntinâ illuminationem, vix ullum ullius persone nomen exprimunt, dicent: An omnia tanquam vana, frivola, falsa rejicient? Quid de Apostolorum miraculis sentient? An ideo futilia, inania & fide indigna videantur, quod hac vel illâ careant circumstantiis, dum recensentur, quod hujus vel illius nomen silentio involvant, sic sanè totius Ecclesiastica imo & Evangelista historia fidem evacuabunt, & omnes antiquitatis memoriam per fide suffodient, ausuque temerario funditus evertent. Quenam hæc frons? quis furor? quæ istorum amentia?*

4. Notarios sive Scriptores miraculorum si requiras, hoc opus, hic labor est, potissimum ex hoc capite, sicut quæsito plenius satisfiat, attendenda est Juris Consultorum regula, quod *res qualibet sua origine metienda sit. Annis pluribus*
 in va-

in variis regionibus regni Germaniæ, Bohemiæ, & Belgii, Catholici complures Regularium, scrutando bibliothecas, quid compertum sit mox dicemus. In confesso est quòd antiquitus typographi, non illi primores Moguntini, sed alibi in exteris regionibus calcographicam artem æmulantes, ut plurimum in more habuerint, non tam in frontispicio librorum condignos præliminares titulos, quam capitum initiales literas omittere, eo fine proposito, ut ad motis postea penicillorum aut calamorum pigmentis, obtutui humano gratiores substituerent: frequentissimè etiam nomina typographorum, annus itidem & locus impressionis desiderabantur. Inter alia simile de S. Annâ exemplar mutilum, obsoletis & plurimum impolitis pressum formulis repertum fuit, quem librum conscripserat, vel ab alio conceptû, Martinus Scleger Diestemii Presbyter, suâ operâ plus expumicatum publici juris fecerat, in quo auctor ante librum tertium sic præloquitur: *Lector suavissime te admonitum iri velim, ne miracula hæc quæ scribimus, quasi aut conficta, aut minus vera contempseris. Habe de meâ conscientia obsecro bonam opinionem, non enim adeo demens sum animi, ut velim mentiendo salutis discrimen incurrere, cum tacendo possim tutissimus permanere. Scriptum quippe est: Os quod mentitur occidit animam. Agnosce igitur eum abysso jam moris absorptum, qui sic inanibus fabellis hominum gloriam aucupatur, ut malit mentiendo perire, quam subticendo proficere.*

5. Petrus Dorlandus, montis S. Joannis Baptista in Zelemensi vico, apud Brabantiae oppidum ex professo Carthusianus, saepe adductus collaudatur, non tam ab eruditione quam multâ vitæ integritate, religionis & amoris in Deum constantissimi zelo. Is post annum 1480 loci Vicarius existens, absolvit S. Annae historiâ libris quinque, ad quam in Carthusiâ Colonensi manuscriptam Cornelius Schultingius relationem facit. In eadem Dorlandus protestatur se ex probatis auctoribus hausisse omnia. Prior loci postea electus plurima scripsit alia, & año 1507. beato fine cõclusit. Præterea Abbas Trithemius Mosellanus, Petrus Wilderad Heinsbergo Juliacus, & noster R. P. Amandus Zirixiensis Zelandus, Theologi probatissimi & Synchroni Latinâ phrasi miracula consignarunt.

6. Teutones sive Germani miraculorû S. Annae testes reperti sunt Batavus anonymus, qui terras lustravit & urbes, variaq; excussit monumenta, in hoc colligans, ut solidâ historiæ de S. Anna veritatē erudere posset, tandē ex omnibus delectû faciens, librum anno 1486. Hollandico idiotismo concepit, fecitq; describi typis, prout ista ferebât tempora, sat inconcinnis. Immediatē post, vestigia ejus pressit religiosissimus vir Gualtherus Bornius, Cartusianus in domo S. Mariæ, vulgo Monnickhuysen apud Arnhemû in Ducatu Geldriae, Comitatus Zuthphanię metropolim, qui suam de S. Annâ historiâ meliori donatam Synthesi, ex Latinis haustam, anno 1499, Zwolla in Transi-
sala-

salaniâ bono publico pervulgavit año 1504. Daventriæ, ac demum 1601, & 1639. junctâ Ecclesiastici viri censurâ Antwerpiæ recusam. Nicolaus Simonis Presbyter, Magistrali Laureâ Erphurti apud Thuringos donatus, (diversus à Carmelitarum Provinciali, cognomine Batavo, per Possevinum relato) Bornii historiam rescripsit, dialecto Supernatibus Germanis familiari, per Arnoldum de Aquisgrano Colonia Agrippinæ año 1519. excusam Liber miraculorû de S. Annâ per Abbatem Trithemium ante 150. annos latinè conscriptus, anno 1627. Monachii in Bavariâ in Germanicum idioma transfusus, & elegantissimo typo excusus fuit. Istis accessit anno 1641. Auctoris Exegetici historia Germanicè Colonia edita, quem secuti sunt ibidem, anno 1648. auctor recens, & anno 1649. Moguntix Abbreviator anonymus.

7. Limburgum ad Loganum vulgo Lanum, Trevirensis Diæcesis, Conventus Guilhelmitarum Suburbicus, anno 1411. ad invocationem S. Annæ crebris illuxit miraculis, quorû aliqualem Syllabum exhibuit historia auctoris Germanica, miraculorum statione 10. pag. 186. Marcodurum, in Menapiis Urbem Imperialè Regulis Julix olim oppignoratam, post adductum S. Annæ cranium, principio seculi sextidecimi divinis prodigiis exuberasse, in confesso est; & constat ex 32. & seqq. capitibus Exegetici. Porro Epistolæ clarorum virorum anno 1641. & 1650. signatæ, memorant in Comitatu Flandriæ Parochiam Botélaer (horâ unicâ

unicâ à Gandavo recedentem) ob cultum S. Annæ eximium, cœlestibus beneficiis hodieque colustrari, adeò ut admirandus populorum inibi confluxus perseveret. & nova amplissima Ecclesia sub Matris Annæ titulo ædificetur. Particularia facta ex ipsâ miraculorum designatione colligi possunt.

8. Præmissa confirmat Beisselius in fine Rosarii accinens:

Anna tuo fletu docta es succurrere stenti;
Hinc miserum votis tu quoque prompta faves.
Anna soles fixas natura vertere leges,
Sique voles sterilis fit modo lata parens.
Anna etiam fluxa fortuna munera sistis,
Ne fugiant nostros lapsa repente sinus.
Anna fugas de decus, das pulchra munera fama,
Tu luctus relevas, & tibi cedit amor.
Anna juvas seu quem terret vis hostica, seu quem,
Carceris obscuri vincula sevar tenent.
Anna levamen ades fidum mortalibus agris
Te duce languenti perditam vitam cedit.
Anna parens tumido te inclamat navita fluctu,
Si jacent laceram flatu & undar atem.
Anna parens nigro es semper metuenda tyranno,
Ut glacies ignem te fugit ille nocens.
Anna abs te nequeunt mortalia pectora frustra
Poscere, quodque voles gnata, Deusque volet.
Anna igitur meritis & tantâ prole beata,
Anna parens nostras respice magna preces.

QVÆ-

QVÆSTIONES
PRO TUENDA VERI-
TATE ASCETICÆ.

PARS SECUNDA.

I. QVÆ-



I. QVÆSTIO.

De Virginis Deiparæ Stirpe Paternâ.

Jesu nomine invocato, qui lapis angularis facit utraque unum, dignum censemus ejusdem humanæ generationis benedictam stirpem, quæ ad virginem matrem & ulterius ascendit principeloco eruderare; atque ut perfectius attingamus Verbum carnem factum, sapientiam Patris æternam, concursu egemus lucis veræ, quæ *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, qui etiam Ecclesiæ fidelium promisit: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*. Itaque hac in re S. Matrem Ecclesiam, atque SS. Patres à Spiritu sancto apprimè illuminatos, primum audiemus.

2. Fides Ecclesiæ Romanæ in Breviario, editionis 1649. Coloniensis, octavâ lectione festi S. Joachim paternam genealogiam aperit ex S. Joannis Damasceni verbis hujusmodi: *Ex stirpe David, Levi genuit Melchi & Pantherem, Panther autem genuit Barpantherem, nam ita vocabatur, Barpanther rursus genuit Joachim: Joachim denique genuit sanctam Dei genitricem*. Iterum autem Damascenus addit hæc de genere Joseph: *Rursus ex stirpe Salomonis filii David, ex uxore suâ Mathan genuit Jacob. Mortuo autem Mathan Melchi ex tribu Nathan filius Levi ac frater Pantheris*

theris uxorem ipsius Mathan (que etiam Jacobi mater erat) sibi matrimonio copulavit, atque ex eâ genuit Heli. Ita uerini fratres erant Jacob & Heli, ille nimirum ex tribu Salomonis, hic ex tribu Nathan oriundus. Porro Heli, qui ex tribu Nathan erat, nullis liberis susceptus è vitâ migravit: eâ de causâ Jacob ipsius frater semen excitavit, ac Joseph progeniit. Joseph quidem natura filius Jacob erat à Salomone oriundus, legis autem ratione patrem habebat Heli ex Nathan proveniente. Atque istâ lectione 7. die secundâ infra Octavam Nat. B. Virg. Breviarium præmembratum ex S. Hieronymo etiam recitat.

3. PATRUM illa est sententia, quam S. Thomas Doctor Angelicus q. 31. a. 3. ad 2. aliis veriorē affirmat; Franciscus Toletus Cardinalis annot. 56 in c. 3. Lucæ communiter receptam scribit: P. Joannes Maldonatus in Matthæi cap. 1. cæteris probabiliorem asserit & subjungit: *Hec interpretatio ab ipsis, ut ait Africanus, Christi cognatis accepta, & ab eodē Africano in Epistolâ ad Aristidem exposita, summo ab omni antiquitate consensu probata est, à Justino q. ad Orthodox. 66 ab Eusebio lib. 1. historia Eccles. c. 7. ab Hieronymo in comment. super 1. cap. Matthæi, ab Ambrosio lib. 3. in Lucam c. 3. ab Eucherio q. 3. in Matth. à Damasceno lib. 4. de fide cap. 15. à Beda in Lucam q. 10. à Theophilacto in Lucam c. 3. Quo magis mirum est, uni non fuisse probatam Augustino lib. 2. qq. Evangel. q. 5. quamquam is ipse eam sub finem vitæ doctior*

doctior

doctior probaverit lib. 2. Retract. cap. 7. & 12. ne-
moque de eâ postea dubitaverit, donec Evangelium
nostri invenerunt, quo omnia quæ in Evangelio es-
sent, quasi altioris ingenii homines in dubium, re-
vocarent. (& paulo post subjungit) Quisquis ergo
tot, tantorumque Auctorum non contentus senten-
tiâ, aliam quarit, videat ne pejorem inveniat.

4. Patrum præmissorum locis adjungi pote-
runt Gregorius Nazianzenus in carmine de Ge-
nealogiâ Christi, Damasc. orat. 3. de nat. Mariæ:
Euthymius c. 6. in Lucam. Bestrenus in c. 3. Lucæ:
Anselmus. & pari passu Beda in c. 1. Matth. & cap.
3. Lucæ, Paschasius Radbertus lib. 1. in Matth.
colum. 58. SS. Doctores quoque Scholastici &
Commentatores: D. Bonaventura in cap. 3. Lu-
cæ, D. Thomas in par. 3. q. 31. art. 3. atque in cate-
nâ super cap. 1. Matth. Bertrandus Cardinal.
serm. 2. de natali Domini. Abulens. in c. 1. Matth.
q. 26. Themefwarstellari lib. 8. p. 2. a. 3. c. 1. Ni-
colaus Liranus & Hugo Cardinalis in c. 1. Matth.
Antoninus par. 1. histor. tit. 15. c. 6. Guïlhel. Paris.
in Concept. B. Virg. Alphonsus Salmeron, tomò
3. pag. 269: Joannes Hesselius; Tacitus Nico-
laus Zeegerus & Matthias Bredenbachius in c. 1.
Matth. Martinus Eifengrin in Nat. B. Virg. Joan-
nes Eckius homil. 1. in Nat. B. Virg. Fridericus
Nausca homil. 88. de Sanctis. Angelus del Pas
in Luc. l. 4. c. 23. Gerson par. 3. in Nativ. B. Virg.
Hugo Cardinalis in c. 1. Matth. & 3. Lucæ, Syl-
vester de Prierio in Nat. B. Virg. Robertus de
Licio

Licio ferm. de nat. Mariæ Bufenſis p. 2. princ.
 Marialis ferm. 3. Joannes Arboreus in c. 1. Matth.
 Cajetanus Cardinalis in c. 1. Matth. Dionys. Ri-
 chelius a. 2. super Matth. & a. 9. super Luc. Jo-
 nes Stephanus Menochius in c. 3. Lucæ. Henri-
 cus Fabritius in feſto S. Joſeph & de Nat. B. M. V.
 Emanuel 50. ſcholio 58. in c. 1. Matth.

5. Beneficio Theologorum & typorum urbis
 Coloniensis in bibliothecâ magnâ SS. Patrum
 tomo 14. pag. 35. anno 1618. ibidem primum in
 lucem editus est vetustus Dialogus contra Ju-
 dæos. Auctorem ejusdem doctissimus Cardina-
 lis Wilhelmus Sirletus nominaverat Enthymium
 Zigabenum, qui anno 1118. tempore Alexii
 Comneni Imperatoris Græcorum floruit, sed
 Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ illum Andro-
 nico Constantinopolitano attribuit, cujus dia-
 logi trigessimum octavum caput sic orditur: *Quin-
 etiam de Davidis genere atque stirpe virginem da-
 bo, neque id vero ex nostris scriptis & decretis, sed
 judaico quodam libro in quem Orestia de incidi,
 apud Judæum Eliam legisperitum cognomine. Is
 in virginem debachatus sic habet: Quid tantoperè
 Mariam extollunt Christiani, Cherubinis augu-
 stiolem, Seraphinis sine comparatione digniolem,
 solaribus radiis puriolem appellantes? siquidem
 femina est Davidicæ gentis, Annâ matre, Joachi-
 mo parente nata, qui Pantheri fuit filius, Panther
 & Melchi fratres filii Levi stirpis Nathan, cui Da-
 vid Pater ex tribu Juda. Igitur defuncto Mathan*
 P Jacobi

Jacobi patre, Melchi Mathanis uxore Jacobi matre viduâ ductâ, ex eâ Elin sustulit: Ita erant Jacob & Eli uterini & non germani fratres. Eli anno quinto & quadragesimo sine liberis extincto, Jacob uxorem Eli defuncti lege duxit, semen fratri excitaturus: qui ex ea filium Josephum genuit, prolem natura sibi quasitam, lege Eli. Fuere igitur Panther & Melchi fratres Levi filii. Verba sunt Dialogi prælibati.

6. Rursum S. Romana Ecclesia infra octavam Nativ. B. Virg. Lect. 8. diei secundæ & Lect. 7. in festo S. Joachim explicitè credit, canit, & docet, quare generationis ordo à Matthæo & Luca usque ad Joseph deductus sit, stirps autem B. Mariæ virginis omissa. Sebastianus Barradius Commentariorum tomi 1. lib. 5. c. 30. editionis 1601. Moguntia pag. 246. id ipsum tradit, his formalibus: *Matthæus & Lucas uterque putativum genus descripsit. Quidquid ergo Fansenius & alii nostri seculi Scriptores velint, Patrum sententia rectè explicata & facilis & verisimilis est, quorum in exponendis sacris literis vestigia, summâ cum veneratione sequenda sunt.* Concurrit in id ipsum Toletus ubi supra, post multa concludens: *ab istâ communi viâ non esse recedendum.* Vincentius Regius Evangelicarum elucidationum lib. 1. c. 3. theoriâ 2. n. 6. Barradii locum præscriptum citans collaudat, atque ob Africani, tantorumq; Patrum auctoritatem probabilem agnoscit. Porro Joânes Azorius instit. moral. tomi 2. lib. 1. cap. 19. edit.

edit. 1608. Coloniensis col. 131. memoratam sententiam communem, omnium Patrum consensu receptam affirmat, concludens illam reverentendam, tum propter Patres, tum quia à Con- sanguineis Christi accepta sit.

7. Rationes & causas SS. Patres similiter adduxerunt, cur ab Evangelistis Josephi nativitas recenseatur & non B. M. Virg. nominatim S. Hieronymus, Chrysostromus, Hilarius, Euthymius, Anselm. Theophilactus, Euseb. Emiffenus, Damasc. Fulbertus Carnotensis, Paschasius, Andronicus, & Cardinalis Cajetanus in c. 1. Matth. commentatur, quod Evangelista deduxerit generationem ad Joseph patrem putaticium, propter Judæos ex fundamento à Patribus adducto: aliàs potuisset Evangelista per masculinam lineam ex David deducere generationem Joachim patris Mariæ & concludere: Barpanther autem genuit Joachim patrem Mariæ. Hic itaque insigniter quadrat pronunciatum S. Hildephonsi Archiepiscopi Toletani serm. 5. de Assumpt. B. M. *Invi- det nos sanctarum Scripturarum sinceritas, & Catholicorum Patrum fidelis auctoritas nos doceat, in quorum intellectu & scriptis fidei pietas & veritas non vacillat.* Unde & S. Athanasius semper habebat in ore, veterum Patrum consensum non pro iudicio aliquo sed pro divino responso esse habendum.

8. Sententiâ tali S. Romanæ Ecclesiæ atque SS. Patrum hæctenus sufficienter confirmatâ, re-

stat dispicienda contraria recens traditio per tractatum Germanicum vulgo proposita, num scilicet sæpè memoratus Heli Beatissimæ virginis pater naturalis fuerit? Agedum siquidem S. Romana Ecclesia Lect. 8. in festo S. Joachim signanter credit & docet, quod Heli nullis liberis susceptis è vita migrarit, quod SS. Patres etiam expresse docuerunt; jam nunc resultat quæstio, quomodo fieri potuerit, quod idem Heli (alias Joachim dictus, ut nonnulli opinantur) pater B. Virginis fuerit, si improlis obiit? opinioni tali obviat loco citato Toletus his formalibus: *Modi hujus nemo antiquorum meminit, quod argumento mihi videtur, cum improbabilem esse, tum quia longè diversa sunt nomina Heli & Joachim; asserere autem fuisse binomium, aut quod quidam dicunt Joachim & Heliachim idem esse; Heli autem idem esse quod Heliachim, quasi per quandam syllabarum abbreviationem, cum nullâ hac ratione aut auctoritate dicantur, recipienda non sunt: tum etiam quia ex Damasceno contrariû habemus & c. Azorius loco præcitato juniorum interpretum opiniones refutans sic terminat: Tertio non videtur cum Luca sensu convenire, qui fuit Heli, id est qui fuit gener: nam in cæteris Lucas semper intelligit, cum ait: Qui fuit hujus vel illius, id est, qui fuit filius vel nepos. Accedit quod nullo Scripturæ testimonio probatur, Heli fuisse eundem qui Joachim, quamvis Heliachim aliquando fuerit idem quod Joachim. Tenenda est igitur communis veterum*

serum

terum Patrum sententia, Josephum sponsum virginis fuisse filium naturalem Jacob & legalem Heli. Porro sicut Cardinalis Toletus in c. 3. Lucae annot. 56. dixit, quod Heli, Heliachim & Joachim non coincidunt: ita etiam S. Hieronymus Commentarii in Matth. princip. V. Beda & Joannes Driedo annotarunt distincta esse nomina Joakim & Joachim, quæ tamen scriptorum vitio & longitudine temporum apud Græcos Latinosque confusa sint.

9. Hujus itaque secundæ classis opinio per Joannis Annii Philonem de temporibus pseudographum & supposititium, (sicut part. 1. §. 6. n. 3. probavimus) procusa, & principio exacti seculi à nonnullis hausta, pari, quâ objicitur facilitate, etiam meritò rejicitur. Nam & rationibus tota caret, & scripturæ exemplis, infirmiorque est, quam ut Judæorum compescat calumnias, vel saltem hæsitantem erigat & confirmet. Nec enim apud Evangelistas affinitatis, sed generis & profapiæ liber & catalogus contexitur: & socer generum nec Scripturæ, nec politico loquendi more generare dicitur; neque etiam alias ex sacris eloquiis demonstrari potest, uxorem dici filiam Patris mariti, vel Maritum dici filium patris uxoris. Nam etsi socer vocaret nurum suam filiam, ut Noemi vocabat Ruth, non tamen in tertiâ personâ historicus, & maximè tenendo genealogiam mariti, poneret socerum loco parentis, atque hoc insolitum est, etiamsi oretenus

ipse gener vocaret focerum parentis nomine, & focer generum filii nomine. Sic quoque Maldonatus in c. 1. Matth. scribit: *Sententia ista recentiorum mihi placeret, nisi viderem Evangelistas verum Josephi genus describere velle.* Jansenio similem novam commentationem producenti, Barradius tom. 1. lib. 5. c. 3. obviat dicens: *Major est Patrum auctoritas, quam ut Jansenii dictis cedere debeat: neque enim quod opinatur satis probat.* Pro Patribus facit Tertullianus lib. 1. contra Marc. c. 13. ubi ait: *Omnino res Christiana sancta antiquitate stat, nec ruinosam rectius reparabitur, quam si ad originem censeatur.*

10. Nec quidquam pensanda venit ratio in tractatu Germanico prætenfa, quod non exigua laus atque præconium, SS. Conjugibus atque Deiparæ virgini resultet, ab Evangelistis Matthæo & Luca ipsorum genealogiam esse descriptam, pro cuius asserti expeditione cultor eximius virginis S. Bonaventura primum nobis audiendus videtur in 3. sentent. dist. 3. sub finem quæstionis 2. pronuncians: *Sufficiunt virgini alia dignitates, quas sibi filius communicavit & dedit, in quibus superexcellit omnes humanas laudes & devotiones, & ideo non oportet novos honores confingere ad honorem virginis, que non indiget nostro mendacio, & plena est veritate.* Magni nominis & auctoritatis P. Alphonsus Salmeron comment. tomo 3. tract. 28. pag. 217. ad instantiam propositam specialiter respondet: *Ne in minimo*
qui-

quidem id ad ipsorum gloriam pertinuit; nam si hoc aliquo modo ad huiusmodi gloriam spectasset, procul dubio factum fuisset.

II. Viden', amice Lector, ut veritas agitata splendescat? Auctor Exegetici cap. 3. pag. 12. asseruit sanctum Joachim genitorem beatissimæ virg. Mariæ ab avo Panthere, patre Barpanthere genitum fuisse, juxta priorum seculorum doctrinam in Ecclesia usitatam, ut patet parte primâ §. 7. n. 2. quod jam nunc secundis curis confirmavimus num. 2. ex fide S. R. Ecclesiæ, numeris item 2. 5. 7. & 8. ex SS. Patribus & aliis: Oppositam autem opinionem refutando demonstravimus, Helin, S. Lucâ attestante, aliis progenitoribus exortum, à memorato Joachimo extitisse diversum, improlem obiisse, atque idcirco dici non posse naturalem virginis patrem fuisse, sed patrem legalem Josephi factum, ob suscitatum ab uterino fratre Jacob semen juxta fidem S. R. Ecclesiæ, SS. Patrum unanimum consensum atque Doctorum Scholasticorum concursum.

12. Hactenus de paternâ Deiparæ virginis origine. Pater in generatione hominis pars potior est, cum ejus semen sit activum, sive efficiens principium, ut tradunt Arist. lib. 15. de historiâ animal. & lib. 1. de generatione c. 20. atque B. Thomas 3. p. q. 31. a. 5. ad 3. tom. 13. Joachimi itaque ex Barpanthere geniti, naturalis filia fuit virgo Maria, de cujus purissimo sanguine Verbum æternum carnem assumpsit. Positâ hac basi irre-

fragabili, ne in vestibulo hæreamus, ad reliqua accingamur.

II. QVÆSTIO.

De Virginis origine maternâ.

MAjor fortassè difficultas circa hanc quæ-
stionem consurgit; siquidem circa avum
virginis maternum quatuor differentes opinio-
nes reperiuntur, quarum tres primas author Exe-
getici volens silentio involvit. Primam omnium
P. Canisius & alii Doctores modestissimè refe-
runt, licet quartam amplectantur. Recens autem
tractatus Germanicus primâ istam crassi erroris
damnat, velut contrariam SS. Patribus, sacre Scri-
pturæ & Catholicæ fidei; ideoque hic non saltim
sed aliquantò pressius delibanda veniet. Historia
duodecim tribuum vetustissima, in Breviario Ro-
mano anno 1520. Parisiis procuso, summatim
quidem, attamen ad scopum intentum affluen-
ter traditur in festis SS. Joachim & Annæ, imò
multò amplior, quam contineatur in epistolâ
S. Hieronymi: *Petitis à me &c.* ad Chromatium
& Heliodorum Episcopos directâ, complexu
tamen sermonis consimili: In festo namque S.
Joachim lect. 3. syllabatim de eodem leguntur
verba hujusmodi: *Decursis in timore Dei & sim-
plicitate ter denis ferè annis, JOACHIM divino
nutu uxorem duxit Annam, virginem ingenue
stirpis, & annorum viginti, moribus & vitâ consi-
mitem, in castro cui vocabulum est Sephora usque
hodie*

hodie famoso, non longè à monte Carmeli, duobus
duntaxat miliaribus à Nazareth distante, ex Sto-
lano & Emerentianâ sanctis parentibus, quam-
quam, ex Bethlehem esset oriunda.

2. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in syno-
do Ephesinâ clarissimus propugnator fidei Ca-
tholicæ, sub annum Domini CCCCXXXIII.
contra Nestorium Episcopum Constantinopo-
litanum, dogmatizantem, quod virgo Maria dici
non debeat Theodocos, id est, Deipara, sed Chri-
stotocos seu Christipara, quasi hominem tantum
hæc puerpera genuerit, libellum fertur conscri-
pisse de ortu B. Mariæ, qui modo non extat, sed
alibi delitescit. Verba sunt R. P. Laurentii Cupe-
ri, SS. Theologiæ Licentiati, & Carmelitarum
quondam Provincialis cap. 4. vitæ S. Annæ; Tri-
themius quoque lib. de Scriptoribus Ecclesiasti-
cis, Tractatu quoque de laudibus S. Annæ c. 6 &
principio libri de miraculis S. Annæ eidem Cy-
rillo similiter assignat tractatum de vitâ & con-
versatione S. Annæ ad Cælestinum Papam I.
transmissum: quibuscum consentiunt quæ pri-
dem antea à Dorlando & Bornio, nec non à Ba-
tavo anonymo principio vitæ S. Annæ, à Pepino
ab Amando Zirixienfi c. 1. Legendæ S. Annæ, à
Mantuana in Fastis, ab Henrico Mauroy & in
Passionali Sanctorum tradita suppetunt.

3. S. Cyrillus præmemoratus, sicut & alii Sto-
lanum & Emerentianam parentes Ismeriæ & An-
næ, sororum, atque Ismeriæ filiam Elizabetham,

matrem S. Joannis Baptistæ commemorant. Hierosolymitanæ Ecclesiæ usus sic tradit, quem simul cum Cyrillo citat Eckius homil. 4. de Annunciat. Ea opinio reperitur in serm. 26. S. Augustini ad Eremitas editionis 1513 Parisiensis, sed Basileensis & Antwerpensis edit. serm. 25. Id ipsum tradiderunt Bertrandus Cardinalis serm. 2. de nativ. Domini, Sigebertus monachus in Chronico ad annum 399. Antoninus p. 1. histor. tom. 5. c. 6. §. 10. Gabriel Biel suppl. dist. 20. q. 2. Mantuan. in fine lib. 1. Parthenices. Speculum Redemptionis humanæ pag. 12. Eckius homilia 1. de S. Jos. & in festo S. Annæ. Fasciculus temporum edit. 1485 Venetianæ fol. 66. Historia Lombardica n. 126. Catalogus Sanctorum Episcopi Equilini lib. 4 c. 162. De Trugillo in festo S. Annæ, Joannes Major Doctor Parisiensis. Dorlandus vitæ S. Annæ lib. 1. c. 2. Anonymus Batavus fol. 13. Mauroy Apologiæ p. 1. c. 36. Rickelius art. 2. super Matth. Conrad. Wimpenna de trinitio fol. 162. Trithemius c. 6. Driedo lib. 3. tract. 3. cap. 1. par. 4. de dogmat. Odolavus, Wilderad principio vineti. Lansbergius serm. de S. Annæ edit. 1570. Antwerp. Surius 13. Maji in vita S. Servatii, Michael de Hungaria serm. de S. Anna. Hartmannus Scheidel in Chronico, Salmeron Tomo 3 tract. 8. pag. 71. & tom. 4. par. 2. tract. 11. Cornelius Jansenius Concordiæ evang. c. 3. Didacus Stella in c. 1. Lucæ. Jacobus à Logenhausen, atque alii multi, quos adducit noster Mauroy

roy Doctor Sorbonicus in apologiâ pro Judæis Christianis anno 1555. Parisiis editâ. part. 1. c. 36, fol. 166. quæ quidem traditio tantisper grassata est, donec à novis succedentibus corriperetur.

4. Sed & ultima ætate eandem traditionem de Stolano & Emerentianâ Parentibus S. Annæ atque Ismeriæ præter Bornium anno 1601. 1610. & 1639. recusum Antwerpiæ pervulgarunt, ejusdem translator, Gallus Josephus Petrochius Rothomagi apud Davidem Ferdinandum publicatus, Guilhelmus Estius in c. 7. ad Hebr. Veron. in triumpho Joachim & Annæ, Regius & Hieron. Natalis in annotationibus, Diez Conc. 3. in Visitat. Toletus annot. 108. in c. 1. Lucæ.

5. Altera traditio, quod Isachar Annæ pater fuerit, in supplemento Jacobi Philippi Bergomensis ad annum mundi 5180. reperitur, pro quo Isachare & Nasaphat Conjugibus volumen vetus M. S. Bibliothecæ Lobkowitziæ allegat Sylvester Steierus historiæ genealogicæ D. N. Jesu Christi par. 2. pag. 90. Præterea opinio tertia successit, quasi Anna Gaziro genitore mundo illuxisset, cujus meminit Petrus de Natalibus Catalogi lib. 8. c. 51. Binæ opiniones istæ velut minus certæ à paucis sectatoribus frequentatæ, antiquatæ sunt celerius.

6. Recentior Sententia, Ordine quarta, superiori seculo ad umbelicum devoluto, in Ecclesiâ Latinâ primum enata est, videlicet quod Mathan Sacerdos & Maria Conjuges Annam procrea-

crearint, atque in dicti asserti probationem Nicephorus Calistus, qui circa annum salutis 1300. in Græciâ vixit, suæ historiæ Ecclesiasticæ lib. 2. c. 3. inseruit fragmentum Hippolyti, non alterius quam Thebani, sicut evidenter patet ex M.S. Chronico Græco, ejusdem Thebani in Bibliothecâ Vaticanâ Romæ, quod ipsum ex Serenissimi Bavariæ Ducis bibliothecâ mutuatum Henricus Canisius SS. Canonum Ingolstadii Professor, publici juris fecit; & Antonius Possëvinus exinde accuratè admonuit contra Nicephorum, qui dicti fragmenti auctorem nominaverat divinum Hippolytum, Portuensem Episcopum, quem alii sanctissimum Christi Martyrem crebrius indigitant. Chronicon Thebani cum memorati Canisii notis, Theologi Almæ Universitatis Coloniensis posteritati consecrarunt bibliothecæ magnæ Patrum Tomi 9. par. 1. pag. 1007. Suspensâ itaque per Nicephorum gloriosâ hederâ *divini Episcopi Portuensis*, atque adeò vetusti Scriptoris, nil mirum quod talibus præconiis acciti, ille-ctique recentiorum multi, obviis quasi ulnis traditam genealogiam amplexi sint. Portuensem illum anno Christi 220. sed Thebanum Hippolytum anno 950. (intervallo satis prolixo 730. annorum) vixisse memorant. Nicephorus anno 1553. primum Latinus factus prodiit.

7. Auctor Dialogi contra Judæos (quæstionis primæ num. 5. descriptus) loco ibidem citato subtexit hunc tenorem: *Habebat idem liber*

Elia

Elia Iudæi & Iosephi genealogiam & genuinam, quæ in sacro Matthæi Evangelio descripta est. Cæterum agebat habuisse Iosephum filios quatuor ex uxore Salome, Iacobum, Simonem, Iudam, & Iosen; filias tres Esther, Thamar, & Salomen, quæ Zebedæo conjunx, Iacobum & Evangelistam Ioannem edidit. Erat autem Iosephi uxor Aggæi filia fratris Zachariæ Sacerdotis, Patris Ioannis Baptistæ. Zacharias & Aggæus Barachia filii, Abiâ Sacerdote nati. Porro erat id temporis Ioseph viduus: ut fuerint Salome & Ioannes Baptista fratrum filii & huic Aggæus, illi Zacharias patruus. Salomen dico non obstetricem virg. Mariæ, sed Iosephi fratris uxorem. Nam Obstetrix illa consobrina erat Elizabetha atque virginis, ut ostendit S. Luca Evangelium. Erant enim tres sorores Bethlehemeses ex Cleopatra & Soripatris regno, ante Herodis Antipatris regnum. Prima nomen Mariæ, alteri Soba, tertia Anna, Earum prima in Bethleem nupta Salomen obstetricem peperit. Altera & ipsa in Bethleem Elizabetham. Tertia in Galilea genuit virginem Mariam, quam & Deiparam Christiani vocant; ut sint Salome & Elizabetha & Virgo trium Sororum filia. Ita is liber genealogiam Virginis explicitam continebat, qui & aliorum quorundam

Iudæo-

m Ni-
 1300.
 e lib. 2.
 terius
 M. S.
 Biblio-
 enissi-
 Henri-
 fessor,
 ex in-
 n, qui
 vinum
 quem
 ius in-
 norati
 is Co-
 theca
 ispen-
 à divi-
 ripto-
 ti, ille-
 is tra-
 ensum
 lippo-
 o 730.
 s anno
 æstio-
 citato
 z liber
 Elia

Iudeorum genus declarabat, qui nihil interest ut nunc dicantur. Hactenus Dialogus, qui eodem sententiarum situ & ordine cum fragmento Hippolyti Thebani coincidit, hoc solum excepto, quod uterque aliquid addat aut demat.

8. Jam nunc indice porrecto, saltem demonstrato considerandum; Eliæ Judæi librum verosimiliter vetustum fuisse, nam recens conscriptus primâ fronte explodi potuisset; Vetustate autem præsuppositâ, si Hippolyto Thebano Synchronus fuerit, quæritur uter ex altero suam implevit lacunam? Ambo interim enormiter hallucinantur; dum castissimum Joseph, (contra tam multos Patres qui præcesserant, imo contra fidem Ecclesiæ, sicut Petrus Damianus Cardinalis olim scripsit) asserunt bigamum, & quidem genitorem sex vel septem prolium, secundo dum virgini matri obstetricem assignant, à quo paralogismo SS. Patres & Doctores Scholastici penitus abhorrent, tertio Germanicus tractatus tenorem Hippolyti, non ex integro reddens, sollicitè cavit, ne Mathanem trium fororum Bethlehemiticarum genitorem, indigaret *Sacerdotem*: mysterium istius silentii tertius aliquis edisserat. Plura in duobus præmemoratis Scriptoribus suppetunt suspecta & affectata nimis, quæ dilectæ brevitatis studio hinc suppressa, prudens Lector facili negotio eliciet, si fragmentum Hippolyti a Nicephoro adductum, cum libro Eliæ Judæi

supe-


superius recitato sagaciter expendat. Pro naturâ
primi commenti addendum obiter, quidquid
olim Christianorum calamis de Iosephi prolibus
influxit, ex Judæorum suggestione haustum fuisse,
cujus rei testis est vetustus Scriptor Origenes
super cap. 13. Matthæi. Nec dissimulandum quod
sub incunabulis Ecclesiæ, Hebræorum Sacerdotes,
Scribæ & Seniores in omnes gentes literas
transmiserint ad Judæos dispersos, ne Christi
doctrinam reciperent, ut tradit Oecumenius in
cap. 40. Actuum Apostolorum. Insuper Judæorum
machinationes in fraudem, & Christianorum
exterminium, atque blasphemias continuas,
deducunt S. Hieronymus comm. in epistolam ad
Titum lib. 1. c. 3. Tertull. adversus Judæos, Am-
brof. lib. 3. in Lucam. Irenæus in Dialogo cum
Triphone. Sozomenus Ecclesiast. historiæ libri
2. c. 8. D. Thomas 3. par. Julianus Pomerius lib. 3.
contra Judæos. Bernardinus de Bustis Rosarii
part. 1. serm. 14. in adjuncto consilio. Petrus Ca-
nisius Doctor Marialis lib. 2. c. 6. Cæsar Baronius
Cardinalis Apparatus n. 35. & 36. Angelus del
Pastomi 2. in Lucam lib. 22. c. 12. & Joannes Lo-
rinus in actus Apostolorum c. 7. v. 52.

9. Andronici Dialogus pro auctore nomi-
nat librum Eliæ Judæi. Nos sanè Thebani Hip-
polyti felicitatem admiramur, cum Evodius,
Africanus, Eusebius Cæsariensis, S. Hieronymus
in arcanis Hebræorum versatissimi, Joannes Da-
masc. Hebræus natus, & ut verbo dicam tam
multi

multi illustres Patres antiqui Græciæ, istius geneleos venam non attigerint, neque à mille quingentis annis, Latinæ Ecclesiæ Scriptorum calamistratio isthæc influxerit unquam. Hippolyti Thebani aliquot errata & Nicephori sphalmata multa taxant Baronius in Annalibus, Bellarminus de Scriptoribus, Possevinus in Apparatu, & quidem in bibliothecâ selectâ, Nicephorum asserit Schismaticum, & parum æquum Latinis; quocirca Occidentalis Ecclesia à Spiritu sancto directa, maturius egit, quam quod ad Nicephori pronunciatum, nullo alio digniori testimonio adminiculante, asserti Hippolyti traditionem ad Breviarium aut Martyrologium Romanum hæctenus admitteret. Attamen Cuperus cap. II. sibi elegit sequi Hippolytum, *nisi postmodum aliquid certius innotescat.* Toletus in cap. I. Lucæ annot. 108. recitata auctoritate Hippolyti mox subnectit: *Nihil tamen certi hac in parte constituere possumus.* Idem sentiens P. Salmeron aliam opinionem amplexus est. Auctor Exegetici ob causas rationabiliter moventes, Hippolytum secutus, voluit loqui ut plures, donec radiis æterni Solis, nebulæ, si quæ intercurrant, dispergantur, & veritas omni caligine submotâ propalam denudetur, quâ viâ factu facile erit, ut *multa renascantur, quæ nunc cecidêre.*

10. Nonnulli recentiorum ab Hippolyti genealogiâ elongati, in diversa abeunt. Petrus Opnerus Heli uxorem facit Annam, Franciscus Lucas

Lucas Brugenſis cap. 3. Lucæ verſ. 23. Ego, inquit, malim intelligere hunc Heli avum fuiſſe B. Mariæ, patrem Annæ. Cornel. à Lapide in cap. 36. Numer. commentatur, quod Lucas describat parentes S. Annæ, unde cum is ait de Heli, qui fuit MATHAT, intelligendus non ſit filius, ſed gener. MATHAT enim, inquit, fuit pater non Heliſive Joakim, ſed Annæ uxoris Joakim. Cornelium ſequitur Matthias Faber conc. 8. de Concept. Virginis atque (à Nicolao Lyrano in c. 1. Matth. & ab Opmerop pag. 181. ſuæ Chronographiæ longè diverſum) exprimit ſchema genealogicum ſubſequens.



Antilogius hujusmodi quis non miretur? Fundamenta & congruentias aliorum examini relinquimus, & an talibus conjecturis opus ſit, ubi ſenſus apertus Eccleſiæ, & gravia teſtimonia prævalent.

III. QVÆSTIO.

An Mathan Evangelicus idem ſit cum Mathane Hippolyti?

Augustinus Tornielus in ſacris annalibus ad annum Mundi 4037. n. 3. ex Damasceno

Q

ſpe-

specificat ortum Deiparæ paternum: dein num̄
 4. sequenti ex Hippolyto adornat originem me-
 diante Mathane Sacerdote, Patre S. Annæ, ma-
 ternam sic concludens: *Ex quo patet prædictum
 Mathan diversum omnino esse ab eo, cuius memi-
 nit Matthæus in genealogiâ Salvatoris. Siquidem
 ille dicitur fuisse Sacerdos: hic autem de tribu Juda.*
 Auctor Exegetici c. 3. pag. 12. Torielli verbis
 inhæsit, cum ex fundamento præallegato, tum
 quod Mathan ab Hippolyto introductus conju-
 gem habuerit Mariam, sed Mathan à Matthæo
 descriptus uxorem habuit Esthan sive Hestam
 aut Escham, quod attestantur Africanus, S. Gre-
 gorius Nazian. in carmine genealogico, Ambro-
 sius in c. 3. Lucæ lib. 3. Eusebius Ecclesiasticæ hi-
 storix lib. 1. c. 6. 7. Titus Bostrorum Episcopus
 in c. 3. Luc. Anselmus in c. 1. Matth. D. Thomas
 part. 3. summæ q. 31 a. 3. ad 2. & passim recentiores.

2. Matthæus Evangelista accuratè satis Chri-
 sti genealogiam auspiciatus ab Abraham, dedu-
 xit ad Judam, à Juda ad David: illis quippe pro-
 missio facta fuerat, quod de eorum semine Salva-
 tor Israelis nasceretur. Rursum idem Evangelista
 à David per Salomonem profecquitur, usque ad
 Eleazar ubi ponitur: *Eleazar autem genuit Ma-
 than.* Hic jam ad mentem novi Schematis ge-
 nealogici quæritur, Evangelista quo fundamen-
 to, quâ veritate, ad prosapiam Judæ intrudere
 poterit Mathanem Sacerdotem Levitici gene-
 ris? Et quorsum attinebat tot generationes te-
 xere

xere stemmatis Judæ, si tandem in viro Levitico degenerare intendebat? Et quomodo subsistet veritas verbi: *Genuit?* harmonia sanè genealogica similis foret, symmetriæ inæquali ac monstruosæ potius, videlicet, humano capiti corpus si pictor equinum adfingat. Toletus annotatione 58. in c. 3. Lucæ scribit, quod tam una quam altera (Matthæi & Lucæ) sit Davidica generatio, omnesque sint posterii ipsius, ad quos Sacerdotium non spectabat, nec Sacerdotes esse poterant uti enuntiat etiam Azorius tom. 2. lib. 1. c. 19. col. 133. Porro si Evangelista sacerdotale genus recensebat, sacerdotes imprimis debuit nominare, ut recte Maldonatus argumentatur in c. 1. Matth. edit. 1602. Lugdunensis col. 28.

3. Si Mathan Sacerdos genuit Jacob, Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, corrigendus veniet Gabriel Archangelus dicens: *Joseph fili David*, nam sic juxta præmissa Joseph immediatos progenitores habuisset ex linea Levi?

4. Rursum si Helin apud Lucam, Patrem Josephi Legalem, uti n. 2. primæ quæstionis probatum est, faceremus esse Joachim patrem virginis Deiparæ naturalem, & jam nunc Mathanem Sacerdotem genealogiæ Matthæi insertum esse concederemus, utique errassent contrarium dicentes SS. Patres Hieronymus & Damasc. principio capitis 2. Exegetici relati. Hilarius can. 1. in Matth. Chrysof. hom. 1. & 2. in cap. 1. Matth. Theophilaetus & Anselmus in cap. 1. Matth.

Q 2

Pascha-

Paschasius Radbertus lib. 1. in Matth. col. 60. & 61.
 Eusebius Emiffenus hom. de nativ. B. M. Virg.
 Eucherius Lugdunensis Episcopus edit. 1531.
 Basil. pag. 268. Euthymius in c. 1. Matth. Con-
 currunt clarissimi Theologi Sylvester de Prierio
 in nat. B. Virg. Barradius lib. 5. c. 30. pag. 247.
 Joannes Carthagenæ & Labata c. 2. Exegetici re-
 lati. Torniel anno mundi 4037. n. 3. & anno
 mundi 4051. n. 14. Cum autem omnis novitas
 soleat in Ecclesia esse suspecta, & in antiquitate
 usque veteri semper reperitur firma securitas,
 absit ut contra S. Evangelium, rem novam à mil-
 le quingentis annis sanctis Patribus & majori-
 bus nostris inauditam, credamus, sicut Clemens
 Alexandrinus lib. 7. Stromatum serio monet: *Si
 quis novum aliquod cuderet, quod dissentiat à Pa-
 tribus, tanquam adulteratam monetam rejecta-
 erunt.* Evitando itaque odiosam in rebus fidei
 metamorphosin, inconcussa perstet conclusio,
 quod Mathan Sacerdos diversus sit à Mathane
 Evangelico, prout q. 4. & 6. n. 4. & seqq. amplius
 confirmabitur.

IV. QVÆSTIO.

An Iacob fuerit frater S. Annæ?

TRita est regula Aristot. 2. de cœlo & mundo,
quod contraria juxta se posita magis elucescant,
 cui consonant pragmatici ex l. 1. cum simili, ff. de
 his qui sunt sui vel alieni juris, dicentes: *quod
 cognito ex contrariis uno cognoscatur & reliquum*
 lubet

lubet itaque cum omni antiquitate lucidius confrontare Schema genealogicum, in tractatu Germanico novum, cuius auctor commutare voluerat Mathanem Hippolyti Thebani cum Mathane Evangelico, sed quæstione 3. immediate præambulâ detecta est falsitas; unde liquet quod Jacob & Anna aliis atque aliis, tam patre, quam matre, geniti sint, adeò ut Jacob Annæ frater germanus dici nequeat. Secundo juxta quæstionem primam ex SS. Patribus, imò ex fide Ecclesiæ Romanæ constat, Helin & Jacob uterinos fratres fuisse, quod Schema recentius omittit, unde meritò reprobandum. Inconvenientia & contradictoria gravissima paulò post demonstrabimus.

2. Antequam provehamur ulterius, quæritur cur Hippolytus tribus Bethleemitanis sororibus earum fratrem germanum Jacob, uti facit Schema novum, in suâ genealogiâ, non adjunxerit? Germanicus tractatus respondet, quod Hippolytus censuerit sat superque ex divinis eloquiis constare, quod à Mathan genitus sit Jacob, ideoque intenderit tres sorores tantum nominare, in genealogiâ Evangelicâ non expressas; Ad quod replicamus: De intentione equidem istâ in mente Hippolyti olim radicâtâ, talis quidem allegari potest conjectura, quam ut credamus argumentum nullum apparet; quin & verba Hippolyti atque Andronici Dialogus, longè diversum enunciant, ubi stirpes conglomerantur. Anne
 Q; igitur

igitur in tantâ amplitudine & congerie generationem, vir prudens quispiam credet, quod Hippolytus æstimavit superfluum, Jacob fratrem nominare velut ab Evangelistâ expressum? Notus reddebatur Jacob fidelibus exinde, ut filius Mathanis, non ut frater trium sororum. Sic nec istius Jacob meminit Judæus in Dialogo, in quo tamen promissa fuit Josephi genealogia, & quidem vir negligi non debuit, cum & Judæus pro Christianis non scripserit, nec ad fidem textus Evangelistæ se reflectere voluerit. Quia autem Judæus & Hippolytus, uterque totam istius ætatis cognationem adduxerunt, quam maxime simul adducere oportuisset germanum fratrem Jacobum, Josephi genitorem, cujus tam sollicitè quilibet primam conjugem Salomen, & proles nominatim introduxit. Qui attentat rem aliquam gerere, debet eam explere cum circumstantiis debitis & requisitis; unde aptè non concludunt verba, quod Hippolytus solum intendere deducere & probare ipsum Mathan ex conjugē suâ Mariâ, præter Jacobum ab Evangelistâ nominatum (cujus Evangelistâ ne semel meminit) procreasse tres filias, quarum novissima ANNA, facta sit mater Deiparæ: Siquidem ejusdem respectu, eadem facilitate potuisset ac debuisset, germanum fratrem Jacobum connumerare, & liquidò patuisset ad oculum, quam vicinus consanguinitate huic virgini fuisset castissimus ejus sponsus Joseph, quippe non tantum de eâ tribu
& fa-

& familiâ sed & de eâdem domo proximâ exortus, circa quam rem SS. Patres atque Scriptores calamum multum acuerunt, personas tamen certas, & vicinitatem sanguinis non potuerunt demonstrare eandem. Sed neque Petrus Opmerus quæstione præcedenti relatas genealogias adornans tribus præmemoratis sororibus aliquem fratrem adjungit.

3. Attamen fingamus quod Heli, idem qui & Joachim ex Annâ Coniuge suscitavit virginem Mariam, Jacob autem pro masculino semine suscitando Annam viduam duxerit, & ex eâdem filium Joseph procreavit (credit enim Ecclesia factam suscitationem seminis) an non consequens erit, quod juxta novam assertionem genealogicam, Jacob Annam sororem duxerit conjugem? & rursum quod Maria uterino fratri necdum ephobo in sponsam tradita sit? siquidem Joachim ab ortu filie Mariæ, teste Epiphanio & Cedreno duodecim prope annis supervixit, & postea Annam reliquit viduam. Addamus hic ex fide Ecclesiæ, quod Heli frater fuerit Jacobi, quod etiam Cornelius à Lapide in c. 36. Levitici docet, ergo & Annæ frater, cuius, is Heli, alias Joachim dictus, primus maritus fuit. Quis unquam talia sub lege connubia descripsit, aut docuit? & anne Ecclesia tam arctam consanguinitatem annis mille sexcentis & ultra ignorare potuit? quæ duo matrimonia contra legem Moylis, etiam de sanctis hominibus præsumi non possunt. Testatur enim

S. Gregorius Nyssenus serm. de S. Christi Nativ. quod apud Joachim & Annam fuerit *in signis & exacta secundum legem vivendi ratio*. Et rursum: *quod vita eorum fuerit simplex & recta ante Dominum, apud homines irreprehensibilis & pia*, juxta Fulbertum Carnotensem Episcopum serm. 2. de nat. B. Virg. Mariæ. In gradu, itaque eminenti credimus illos Zelatores fuisse legis. Levitici 18. *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet*. Lex ea ligabat maximè eo tempore, serò factis, dum tribus Juda multiplicata esset nimis, & post captivitatem Babylonicam duæ tribus Juda & Benjamin, solæ in Palestina superessent. Videmus hîc quam appositè currat pronunciatum R. P. Maldonati ad finem numeri tertii quæstionis primæ relatum in effectu hujusmodi: Quisquis Theodidactorum veterumque sententiâ non contentus, novam quærit, videat ne in pejo remincidat.

4. Quod autem in allegatis connubiis, homines simplices & recti, justî & sancti, cum scandalo publico, contra justitiam legalem prævaricati fuissent, patet, nam si Philonem audire lubet: is libro de specialibus legibus edit. 1554. Basileensis pag. 490. refert *nuptias veritas sororum, neptium, consobrinarum, nuruum, privignarum &c.* Insuper Magister historiâ 24. Levitici rem omnem lucidius declarat, quibus cum concordant Beda histor. Anglorum lib. 1. c. 27. resp. 6. Joannes Cochleus miscel. 4. lib. 3. tract. 4. a. 18.

Joan.

Joannes Viguerius c. 16. de matrim. §. 7. v. 9. & Ruardus Tapper Academiae olim Lovaniensis Cancellarius, in explicatione articulorum ejusdem generalis studii anno 1565. Lovanii impressa tom. 2. art. 20. pag. 361.

§. AUCTORES pro contrariâ sententiâ citati, fuere Menologium Græcorum quod anno 1588. commentario Gilberti Genebrardi in Psalmos, Parisiis præfixum, ne jota tradit de quatuor prolibus Mathanis Sacerdotis. neque similia Menologia alibi invulgata tale quid canunt. Insuper Græci plurimis retrò seculis Schismatici extiterunt, aliquando reducti, mox relapsi, graves fidelium orthodoxorum persecutores. Anne fas erit cogitare, Latinam Ecclesiam, ceu Spiritus sancti illustratione destitutam, ignorasse, quod demum à Schismaticis discere necesse sit? Ex Latinâ Ecclesiâ antiquior nominatur Liranus noster, qui citato c. 3. Lucæ, novæ geneleos ne semel meminit: remittit Lectorem ad cap. 1. Matth. ubi genealogicum schema ex mente Patrum principio quæstionis primæ productorum, exhibet. Philo de temporibus auctor fictus est, juxta testes p. 1. §. 6. n. 3. productos, cui Joannes Annius Commentarium superædificavit: Joannes Lucidus, Judaicum ducatum secutus fuit, Georgius Vicelius, Mathani Sacerdoti quatuor adductas proles non assignat, nec Galatinus, nec Cajetanus. Isti sunt testes quos Tirinus nominat c. 46. Chronici. Postea in c. 3. Lucæ, post secundam Pa-

trum sententiam consulit, ut eligat Lector utram mavult. An non ergo Tirinus aliud sentire videtur quàm prius, & quidem sine ullo teste. Tractatus Germanicus tales pro se adducit, quorum nuda asserta, cum contra sanctos Patres, iudicium Romanæ Ecclesiæ, & rationes hæctenus deductas, non prævaleant, frustra nodus in Scirpo quæritur.

V. QVÆSTIO.

De Mariâ primogenitâ & Cleophâ conjugibus.

EX tribus Sororibus Bethleemitanis, Hippolytus apud Nicephorum, atque Judæus in Dialogo Andronici primogenitam faciunt Mariam. Augustini Tornielli Schema genealogicum huic maritum assignat Cleopham, atque in gradu descendenti collocat alteram Mariam, quæ Joan. 19. Maria Cleophæ, & soror (subaudi consobrina) B. Virginis Mariæ inscripta, facta fuit uxor Alphæi, (alterius ab eo qui Marc. 2. Pater Matthæi asseritur) de Mariâ Alphæi conjugis, rursus in gradu descendenti producuntur proles masculæ & fœmellæ, quæ in Evangelio appellantur fratres & sorores Domini. Auctor Exegetici genealogiam istam secutus fuit, velut magis congruam, & plurimum testimonio comprobata.

2. Siquidem ex Mariâ Cleophæ uxore, alteram genitam Mariæ Alphæo enuptam, matrem eorum,

eorum, quos Evangelium vocat fratres & so-
res Domini, testes sunt Abdias, ejusque interpres
Julius Africanus princ. Libri 6. Hieronymus
contra Helvid. Theophil. in c. 27. Matth. Hila-
rius contra Helvid. Glossa in c. 19. Joannis,
Chrysoftomus, Isidorus Episc. Hispalensis apud
Lipomanum pag. 363. Paschasius lib. 6. in Matth.
c. 15. Haymo, Photius, S. Thomas par. 3. q. 29. a. 3.
ad 6. & in c. 13. & 27. Matth. Hugo in c. 19. Joan-
nis, Lombardica historiam. 63. & 154. Canis. lib. 1.
Marial. c. 4. Suarez 3. part. q. 28. disp. 5. sect. 4.
Canus lib. 11. de locis c. 5. ad 2. Salmeron tomo 4.
par. 2. tract. 11. & tom. 10. tract. 41. & tomo 15.
disput. 21. Toletus in c. 2. Joannis annot. 18.
Eckius in festo S. Annæ. Franc. Feuard. in c. 1. Ja-
cobi. Maldonatus in c. 13. Matth. p. 277. Joachi-
mus Perionius in vita S. Jacobi, itidem & Simo-
nis & Judæ. Aloysius Lipomanus Episcopus Ve-
ronensis in vitis Sanctorum anno 1571. Lovanii
impressis pag. 36. & 252. Cornel. Jansenius c. 19.
Concordiæ, Joannes Lorinus Act. cap. 1. v. 14.
Hieronymus de Rebdorf 20. Julii & 28. Octob.
Gregor. de Valentia tom. 4. disp. 2. q. 2. part. 2.
pag. 550. Marianus Victorius in Indice post 3. to-
mum S. Hieronymi. Joannes Hesselius in cap. 27.
Matth. Barthol. à Medina in 3. partem D. Tho-
mæ q. 28. a. 3. Franciscus Lucas in c. 10. Matth. v. 3.
Baronius apparatus n. 66. & 67. Lansberg in fe-
sto S. Annæ serm. Date ei: edit. 1570. Antwer-
piensis. Claudius Espensæus 2. Tim. 4. digres. 26.
Bar-

Barradius, Balduinus Junius Chronici moralis pag. 75. Torniel. anno mundi 4082. n. 7. P. Hadrianus Lyræus Trisagii Mariani lib. 2. modo 2.

3. Vocantur autem fratres Domini non isti solum, sed & de quâcunque cognatione propinqui, tam virginis Matris, quam patris putatici. Ita S. August. tomo 9. tract. 10. in c. 2. Joannis & lib. 22. contra Faust. Anselmus in c. 12. Matth. Pererius in c. 24. Genes. vers. 43. disput. 8. Lyræus loco citato.

VI. QVÆSTIO.

De Ioseph, ejusque fratris Cleophæ connubiis.

Joseph teste Matthæo filius Jacob, monogamus fuit, & solius virginis Deiparæ sponsus castissimus; sed ex adverso hæretici dixerunt, illum ex virgine Mariâ post natum Christum procreasse proles, quæ in sacris literis vocarentur fratres & sorores Domini. Huic heterodoxo opposuit se S. Hieronymus scribens contra Helvidium, & Hillephonsum, quorum argumenta atque solutiones commemorat Cardinalis Tole- tus in Joannem c. 2. annot. 18.

2. Atque ut Deipara post partum vindicaretur virgo, & contra hæreticos defenderetur, invaluit olim nonnullorum Patrum opinio Fratres Domini ex primâ conjugè Joseph generatos, de quibus Baronius Apparatus n. 61. & 62. Lipomanus in vitis SS. pag. 251. Torniel. anno mundi 4082. n. 7.

3. Verùm enim verò contra erroneam huiusmodi opinionem, ex Sanctis Hieronymo, Augustino, Gregorio, Anselmo, Theodoretò, Beda, Chrysologo, itidem, Alcuino, Hugone Victorino, Petro Damiani, & recentioribus part. I. §. 23. relatis constat, quod Joseph virginis custos, & ipse virgo permanferit, nec bigamus fuerit: quamobrem ut ille à tam falsà paternitate eximeretur, adductus est Cleophas, quem ex Hegesippo Eusebius lib. 3. c. 13. & 26. ipsius Joseph fratrem Germanum constituit, de quo mox dicemus.

4. Primus Cleophas, fortè juxta Opmerum Sephorò oriundus Mariæ primogenitæ, Sororis S. Annæ, maritus, principio quæstionis præcedentis productus, dudum transierat. Longiùs post Josephum & Cleopham secundum, ex tribu Juda fratres, ortu & origine Bethleemitanos statuimus. Tertius Cleophas discipulus Domini, post resurrectionem in viâ versus Emaus socius, ex eodem tribus Benjamin, vel ut aliis placet tribus Dan castello, natus, ac civis ibidem fuisse memoratur; idemque ab Hieronymo in epitaphio Paulæ ad Eustochium, à Bedâ tomo 3. in martyrologio ad VII. Cal. Octob. & à Christiano Adrichomio theatri terræ sanctæ edit. 1590. Antwerp. pag. 47. in eodem castello, in eademque domo, in quâ mensam peregrino Domino præparaverat, pro confessione ejus à Judæis occisus narratur. Cleophæ domum ibidem in Ecclesiam à Domino consecratam, annotat in resurrectione Christi

Christi Hieronymus Natalis. Hæc carptim, ne mens Lectoris propter viros cognomines confundatur, uti rectè etiam alii Scriptores distinguunt.

5. Cardo quæstionis genealogicæ de ortu Fratrum Domini hic recurrit. Qui dicunt à secundo Cleophâ fratre Josephi illos exortos, necesse habent ut illum Cleopham non faciant secundum S. Annæ maritum, sed potius eidem, si lubet, quærant uxorem nomine Mariam, juxta probationes q. 5. n. 2. adductas; deinde eisdem conjugibus attribuant filiam Mariam, ex quâ Alphæus suscitaret fratres & sorores Domini, communiter dictos. Ita enim faciendum consulit Aloysius Lipomanus in vitis SS. edit. 1571. Louanienfis pag. 254. & mox subjungit: Quod si nec hoc tibi placet, aliam tu excogita rationem meliorem, cui ego libens ac quiescam.

6. Rebus si compositis, sagax Lector probe expendat, quod Synchroni sint, & velut generationis gradu æquali constituti, Mathan Sacerdos, & Mathan Evangelicus, ceu progenitores & stipites eorum, de quibus controvertitur. Post ipsos in primo gradu locamus Sacerdotis istius filias, Mariam uxorem primi Cleophæ, dein sororem istius Mariæ, Annam uxorem Joachimi. Paripassu collateralem statuimus Jacob, filium Evangelici Mathanis. Hinc in secundo gradu locamus Mariam, primi Cleophæ filiam, Alphæo enuptam, Mariam itidem Annæ filiam, Josephum & Cleo-

& Cleopham fratres, & pro tempore fingimus
aliam quoque Mariam hujus secundi Cleophæ
conjugem. Unde jam nunc in tertio gradu se-
quuntur Christus Dominus, Alphæi proles Fra-
tres & sorores Domini dictæ, in Nazareth edu-
cata, & fingenda Maria secundi Cleophæ filia;
circa quam signanter notandum quod hujusMa-
riæ proles, quas erronea opinio fratres & sor-
res Domini facere satagit, in quarto gradu inve-
nirentur.

7. Posito quod si hic geniti extiterint in re-
rum naturâ, ecce mox consurgit quæstio: an
Christus pueros seu tenellos adolescentes elige-
rit in Apostolos & discipulos, pro tam arduo
Christianæ fidei propugnandæ negotio? quod
nullus prudens facilè astruere attentabit; atque
idem argumentum currit contra eos, qui ex ter-
tio gradu Alphæi filiam Salomen, faciunt Zebe-
dæi uxorem, matrem Jacobi majoris & Joannis
Evangelistæ. Tali etiam argumento utitur P. Sal-
meron. tom. 4. part. 2. tract. II. propter quæ in-
convenientia probè librata, recta ratio facilius
assentietur iis, quæ num. 1. & 2. quintæ quæstio-
nis promissa fuerunt.

VII. QVÆSTIO.

De Sede natali, tribuque Ioachim & Anna.

TRaditio prima: Post S. Hieronymum de or-
tu virg. Mariæ Fulbertus serm. 2. de Nat. B.
Virg. bibliothecæ magnæ SS. Patrum edit. 1618.
Colon.

Colon. tom. II. pag. 36. scribit: *Nata est in Nazareth, Patre ex eadem urbe oriundo, Matre vero Annâ ex Bethleem civitate oriundâ.* Concurrunt Baptista Mantuanus in fine libri 2. parthenices, Dorlandus Prior Carthusianorum in Zelem, in vita S. Annæ & alii. Est autem Nazareth in tribu Zabulon, uti Hieronymus Natalis annotat fer. 2. post Dominicam 3. quadragesimæ & Adrichom. in theatro terræ sanctæ.

2. Altera traditio: Christianus Adrichomius in theatro terræ sanctæ loco 88. tribus Zabulon, *Urbs Sefhoron, Sefhorum & Sefhorus dicta, natalis, ut putatur, locus beatorum Joachim atque Annae Deiparæ virginis parentum.* Consonat Bernardus à Breidenbach Decanus Moguntiaë Metropolitanus in suo hodæporico anni 1486. Annam etiam Sefhoro oriundam opinantur Vincent. lib. 32. spec. histor. cap. 62. Christian. Massæus princip. Chron. Mundi & Ludolphus de Saxonia vitæ Jesu Christi part. 1. c. 2. Porrò Salmeron. refert opinionem Adrichomii præscriptam, suamque interponit tomo 1. prolegomeno 41. edit. 1602. Colon. pag. 499. dicens: *Joachim melius ab aliis creditur fuisse Bethlemitanus.* Prima interim traditio communis est.

3. Cæterum S. Annam genere sacerdotali ortam, memorat principium capituli 2. Exegetici de S. Annâ historici. Confirmat id præter Epiphanius Nazianzenus in carmine de genealogiâ Christi: Sergius Agiopolitanus in cantico Nat.

B. Virg.

B. Virg. Germanus Episcopus Constantinopolitanus, apud quem in Encomio Deiparæ, ejus mater introducitur sic prolocuta: *Ego sum Anna, nata quidem ex genere Sacerdotali, tribu Aarōnicā, quæ verba plenius prosequuntur Aloysius, Surius, Baronius in Apparatu, & Torniellus ad annum mundi 4037. n. 4. Hippolytus quoque Thebanus dum Annæ parentem Mathan Sacerdotem inscribit.*

4. Remeandem ibidem clarius explicat Torniellus dicens patrem Annæ fuisse de tribu Levi, matrem de tribu Juda. Ita & apud Regium Elucidationum theoriâ s. n. 2. Toletum annot. 59 in c. 3. Lucæ, & apud nostrum Franciscum Feu-ardentium cap. 1. lib. 10. Theomachix argumentum reperitur: *Si Mathan Sacerdos fuit Pater, ergo Anna ex tribu Levi.* Ita & Mariam Elizabethæ cognatam fuisse per Annam matrem, & non per Joachim, asserunt Cajetanus in c. 1. Matth. & Salmeron tom. 2. tract. 8. edit. 1602. Colon. pag. 71. Porro Annam de tribu Levi fuisse referunt Hugo Victorinus q. 71. circa epistolam Pauli ad Hebræos. Joannes Major in c. 1. Matth. Joannes Duns Scotus Doctor subtilis in 4. dist. 30. q. 2. Hugo Cavellus ibidem in Scholio. Richard. de media villa in 4. sent. dist. 30. a. 2. q. 2. Toletus annot. 108. in c. 1. Lucæ. Jacob Philip. Bergorn: in supplem. Canis. in Mariali l. 1. c. 3. Feuchtius ferm. 1. in Concept. Bzovius in thesauro laudum B. V. ferm. 3. Nicolaus à Montmorencii in solemn

R

suo

suo convivio, meditatione de concept. immacu-
lata B. Virg. Joannes Hesselbach serm. 2, de con-
cept. Simeon Manhardus tom. 3. lib. 12. serm. 3.
in Nat. B. Virg.

15. Breviarium Romanum anno 1520. & Bre-
viar. Cisterciense anno 1617. proculsa Parisiis, in
hymno ad Vesperas S. Annam sic collaudarunt:
*Abrahae proles, SACERDOTUM semen, Filia Re-
gum, Specimen Hebraum, Stirpem Sanctorum me-
ritis & vitâ nobilitavit.* Coloniense Breviarium
in folio Parisiis anno 1521. prælo commissum in
Responsorio secundo Matutini hæc habet: *Stirps
Aaron sanctam cum stirpe David dedit Annam.*
Breviar. PP. Ordinis S. Crucis anno 1625. restitu-
tum & Leodii recusum in secundo Responsorio
festi S. Annæ: *Fulget beatissima Anna fructu salu-
tis fecundata, quæ ex sacerdotali inclytâ prosapia
est progenita.* Liber Odarum spiritualium Jacobi
Montani Spirensis edit. 1513. Argentinensis de
S. Annâ sic accinit: *Virginis summa genitrix ave-
ro, Anna sublimi generosa stirpe, quam Sacerdotum,
pariterque regum stemmata comunt.*

16. Cur Joachim de tribu Juda fuerit, & Anna
de tribu Levi esse potuerit, rationem eandem af-
signant non tam recentiores, quam veteres, de
quorum numero S. Joannes Chrystost. *Dignum,*
inquit, *atque conveniens erat cælesti mysterio, ut
eadem Maria, quæ mater Dei secundum carnem
esse meruit, ex regali genere & ex sacerdotali origi-
ne nasceretur, de quâ Filius Dei, qui Rex & Sacerdos*

ater-

æternus est, corpus humana carnis assumpsit. Faustus Manichæus, malitiosè asservit Joachim de genere Levi fuisse, quem S. Augustinus refutavit. Julianus apostata Christianis objecit Christum ex Juda non descendere. Judæis impiis proprium est, Christianæ genti obrectare, Scripturæ loca eradere, invertere, depravare, & adulterare. Ita Galatinus lib. i. de arcanis c. 8. P. Canisius tom. 2. lib. i. c. 3. refert impium commentum Suidæ operibus agglutinatum, quasi cuidam Rabbino fabulanti habenda foret fides, quod Jesus Mariæ filius, verusque ille noster Messias, communi Sacerdotum Legalium suffragio coaptatus, & aliorum Sacerdotum, qui pro veteri more, templo Hierosolymitano inserviebant, albo solemniter adscriptus, adeoque pro Aaronico Sacerdotio à Judæis palam receptus & comprobatus fuerit. Verum P. Canisius nervosè vindicat, probatque Christi genealogiam ex tribu Juda atque ex stirpe David ortam esse. Concurrunt Suarez tom. i. in 3. part. Thomæ q. 22. a. 4. disp. 46. sect. 3. Cornelius à Lapide Hebr. 7. v. 14. & Guilielmus Estius ibidem.

7. Alia inconvenientia, suprâ quæst. 3. deducta, huc quoque recurrunt, ad quæ fideliter & diligenter attendendum est, adeò ut sole clarius elucescat, quod novus genealogista non satis aptè dixerit, Annam esse de tribu Juda, sed & magis incongruè Mathan Evangelicum transformare attentarit in Mathan Sacerdotem. Unde

S. Basilius libello de verâ & piâ fide: *Quæ ejus generis essent, ut præter vocis novitatem, sensum etiam nobis novum atque inusitatum adferrent, & apud sanctos viros nusquam in usu fuisse reperirentur, hæc omnia veluti peregrina atque à piâ fide penitus repudianda atque averfanda insinuat.*

VIII. QVÆSTIO.

De Educatione & monogamiâ S. Annæ.

Hierosolymis in circuitu templi nonaginta cellæ constructæ erant amplissimæ, in quibus fœminæ Deo oblatae degere poterant, quod probat Baronius Apparatus n. 50. Annam quinquennio inibi sanctissimè educatam fuisse perhibent Michael de Hungaria ferm 1. de S. Anna. Bornius c. 7. vitæ S. Annæ. Wilderad c. 4. Vinetii

2. Cæterum siquidem Germanicus Tractatus solemniter protestetur, apud quosdam Scriptores multa sine fundamento veritatis posita, quæ fidelibus sanæ mentis, atque SS. Annæ & Joachim, Mariæ & Jesu bene affectis, minimè probarentur, velut sacris eloquiis, genuino Ecclesiæ sensui, ac SS. Patribus directè contraria, ubi inter exempla secundo loco S. Annæ triplex connubium introducit, idem quoque Tractatus c. 24. referat trinubium S. Annæ afferentibus prope à cunctis contradici, eò quod longè aberrant, nec pro S. Annæ ejusque filia & Nepotis honore satis congruè loquantur, neque sententia eadem in sacris literis aut historiis expressa

pressa sit &c. huiusmodi censuræ respondendo, non abs re fuerit pro utrâque sententiâ classicos aliquot Scriptores breviter introducere. Laurentius Cuperus genealogiæ & vitæ S. Annæ c. 10. quæstionem statuit, *Utrum plus semel Anna Maria parens nupserit?* & mox respondet: *Est profecto hæc oppido perquam abdita rei quæstio, cuius utraque pars tam affirmativa quam negativa probabilis est.* Azorius tomi 2. l. 5. c. 19. col. 134. de S. Annâ trigamâ profitetur, fuisse olim communem sententiâ historicorum, communi consensu Scholasticorum receptam. Doctor Petrus Bessæus illam opinionem scribit esse primam, vulgarem, numero potiore, à pluribus perillustribus viris propugnatam. Eximius vir Jacobus Marchantius SS. Theol. Professor vitis florigeræ part. 2. lect. 8. post alios recentior, asserit, eandem opinionem haud contemnendam, cum ex sacrâ Scripturâ aut certâ historiâ vel auctoritate non possit convinci. Ex quibus elucet, viri isti doctrinâ & religione præstantissimi, quanto cum candore, & modestiâ locuti sint de sententiâ, quam tamen ipsi amplexi non sunt. Reverentiâ tali utique digni fuerunt, qui S. Annam crediderunt trinubam, *antiqui Patres*, Chrysostomus, Hieronymus, Cyrillus Alexandrinus, Anselmus, D. Bernardus, Isidorus, Beda, Paschasius, Glossa ordinaria, Haymo in fine Passionis Dominicæ secundum Matthæum & Marcum, Cardinalis Bertrandus, Hugo Cardinalis & Hugo Victori-

nus. *Doctores Scholastici*, S. Bonaventura, S. Thomas, Petrus de Tarantasia, S. Antoninus, Mayronius, Thomas de Argentina, Alphonsus Tostatus, Albertus Magnus Abulensis, Ricardus de media villa, Guilelmus Vorrilonus, Jacobus de Clusa, Gerson, Paulus de Palacio, Joannes Hesselius, Michael de Hungaria, Oliverius, Maillardus, Joannes Major, Stephanus Brulefer, Gabriel Biel, Petrus Sutor, Hungarius, Eckius, Thomas de Trugillo, Clichtovæus, & Natalis Beda. *Historici*: Magister Scholasticæ Historiæ, Fasciculus temporum, Speculum redemptionis humanæ, Montanus part. I. §. 10. n. 8. adductus, Rebdorf, Vincentius Historialis, Ludolphus, Jacobus de Voragine, Philippus Bergomensis S. Coletæ c. 21. apud Surium & Jacobum Marchant, Episcopus Equilinus, Baptista Mantuanus, Dorlandus, Amandus Zirixiensis, Bornius, Passionale, Lombardica historia, Anonymus Batavus, Christianus Massæus, Wilderad, Beiffelius, Trithemius. *Recentiores*: Eckius, Daniel Agricola, Mauroy, Wicelius, Lansbergius, Adamus Sasbout, Matthias Bredenbachius, Conradus Wimpenna, Hieronymus Embserus, Nausea, Salmeron, Toletus, Jansenius, Oliverius Maillardus, & quidem *ultima etate*, Gregorius de Valentia, Hieronymus Natalis, Didacus de la Vega, Philippus Posquir, & F. Severinus Craconiensis in arbore genealogicâ Romæ invulgatâ, confirmant idem Revelationes Brigittæ.

3. Causam cur patres aliquot Latini, plures autem Græci opinati fuerint Joseph ex aliâ uxore suscepisse fratres Domini P. Medina in 3. part. D. Thomæ q. 28. a. 3. pag. 369. hanc reddit: SS. Patres in illam sententiam ex conjecturis de venerunt, nam cum in Evangelio Fratres Domini legantur, & religio vetaret filios Mariæ suspicari, Scripturæ expositoribus conjectandum fuit, quoniam id pacto fieri potuerit, ut veritas Evangelii cum Mariæ perpetuâ virginitate congrueret. Alia rationes à Doctoribus excogitatae violentæ esse videntur. Eadem omnino ratio multos induxit, ut Annam tribusbam crediderint, seu plurium filiarum matrem, contra quos P. Liræus lib. 2. modo 2. sic resonat: *Meræ nige ac nenie, quibus Fratres Domini quæsi, nec inventi, occasionem dedisse videntur, glossâ ordinariâ his partibus infeliciter obstetricante. Meminisse sanè debuerant hi boni viri, fuisse fratres Domini in Evangelio appellatos, non filios fororum Deiparæ, sed cognatos, quos multos habebat, tam veros ex Virgine matre, quam existimatos ex Josepho. Quemadmodum enim hic pater Christi esse credebatur, ita cognati ejus, Christi quoque cognati esse ferebantur.*

4. Monogamam autem Annam fuisse credunt recentiores plurimi & cum ipsis Auctor Exegetici, pro cuius sententiæ conclusione P. Canisius Marialis lib. 1. c. 4. scribit: *Est autem consentaneum, quod eruditi quidam affirmant, & probant, hanc Annam univiram & non tertio nuptam*

R 4

fuisse,

fuisse, qua liberos è singulis viris procreavit. Etenim hoc multiplex Anna conjugium, nescio quam prudenter & solide tam male castam proponat. Salmeron in Evangelia tom. 4. pag. 327. ait: Sententia de trigamiâ S. Annæ, parum honorifica aut conveniens sanctitati S. Annæ, aut dignitati Mariæ virginis ejus filia, aut denique ipsi Christo, cujus gloria, gloria matris est. Cuperus & Leuchius c. 10. vitæ S. Annæ æstimant, grave fore audire Annam post natam Reginam cæli, ad secunda & tertia vota provolasse, quin & parum honorificum; quod Cornelius Jansenius c. 143. concordia, & P. Joannes Bonifacius in vita Virg. Mariæ tradunt. Bessæus contra Poligamiam S. Annæ concludendo dicit: *Illud credere revera absurdum ac nefas esse, & plane commentitium videri, neque ullam apud viros cordatos fidem invenire.* Talibus usi sunt formulis viri graves, atque ut intra metas veritatis saltem probabilis nos coarctemus, curandum de verborum debito moderamine, ne plus ultra audendo orbitam transfiliamus, cum Germanicus tractatus pro hac recentiori sententiâ nulla loca SS. Patrum recitet, nec ullum antiquum Doctorem aut historicum nominet, ne dum adducere possit fidem, seu consensum **Ecclesiæ Romanæ, quæ omnium**

aliarum mater est.

IX. QVA-

* R

IX. QVÆSTIO.

*An Traditio de Parentelâ Mariæ antiquitus
obscura fuerit vel apocrypha?*

HActenus absolvimus partem potiore, eamque propriè genealogicam Christi, in plenitudine temporis humanitatem induti: Superest Pars altera de vetustâ SS. Joachim & Annæ historiâ, atque ut tam dictorum, quam dicendorum formetur Coronis iustissima, visum fuit introductam quæstionum hoc loco statuere. Laurentius Cuperus istam materiam principio genealogiæ & vitæ S. Annæ adornavit, quem imitatus tractatus Germanicus eandem telam texuit, sed non satis integrè. Ad omnem disciplinam, terminorum præcognitionem requiri in confesso est. *Apocryphon*, Græca dictio, rem occultam & reconditam significat, atque in hoc sensu S. Gregorius Nyssenus serm. de nat. Christi scribit, se de parentibus Deiparæ audivisse arcanam & occultam quandam historiam, hoc est, apocrypham, quam tamen idem S. Pater veram credidit sicut demonstrant Salmeron tom. 2. tract. 12. pag. III. & Carthagena lib. 3. de arcanis Deiparæ hom. I. n. I.

2. Tractatus Germanicus c. I. pag. 6. vers. 5. asserit: Apocrypha & non canonica, sunt scripta rejeçtita, damnata & inutilia: versu autem 16. postea cum Cupero ex Joanne Driedone & Sixto Senensi apocryphorum multiplicem ad-

R 5

ducit

ducit notionem. Doctorum super hac re digniore juxta ac clariorem juvat introducere. Eminentissimus Cardinalis Bellarminus l. I. de verbo Dei c. 20. ait: Ecclesie Scriptores interdum vocant Apocryphas Scripturas eas, de quibus non est certum, aut sint canonicæ & divinæ, etiam si satis constat, nullos in eis errores inveniri: interdum autem vocant apocryphos libros eos, qui errores admixtos habent. Quod autem glossa in canone: *Sancta Romana* dist. 5 dicit apocryphos vocari libros, quorum author ignoratur non est probabile. Nam tunc multi libri sacri essent apocryphi, quæ omnia ex SS. Patribus Bellarminus comprobavit.

3. Ut ergo introducta quæstio inclarescat, applicemus exempla, Epiphanius Episcopus Constantiæ Cypri vixit anno Christi 384. qui contra Collyridianos meminit SS. Joachim & Annæ parentum Virg. Mariæ. E contra ejusdem Synchronus Gregorius Nyssenus Episcopus suprarelatus, de eadem hanc quæstionem format: *Prius quenam hæc & unde sit audiamus*: & mox narrans Parentum vitam, non tamen illos nominat, nec locum natalem exprimit: sicut facit in carmine de genealogiâ Christi, alius S. Gregorius Nazianzenus, Nysseno Coævus, S. Joannes Chrysost. vixit anno Christi 410. Sub ejus nomine auctor operis imperfecti hom. 1. ait: *Virgo autem qua ejus mater est, non ostenditur ex quibus parentibus, avis proavisque nascatur*. Post istos

Patres

Patres Græcos sequuntur S. Hieronymus & S. August. latinæ Ecclesiæ eminentissima Sydera, de quibus paulo post agemus. Seculo novissime exacto Lansbergius Carthusianus serm. 4. de S. Annâ edit. 1545 Colon. in terminis ponit: Quid mirum si de S. Annâ præterquam in apocryphis nihil scriptum sit? Hic Lansbergius in primo sensu Bellarmini locutus fuit, ut patet part. 1. §. 9. Ad Nysseni, Chrysostomi aliorumque plurimum antiquorum patrum de nominibus Joachim & Annæ silentium, una est responsio, quod ut nemo repente fit summus, ita Ecclesia Dei sua habet incunabula maturitatis incrementa, certaque tempora, quibus magis magisque illuminetur. Alia ratio dari potest, quod sicut S. Scriptura motore Spiritu sancto, eadem nomina studiosè subtrahit, ita & PP. Ecclesiæ antiquiores fecerunt ob causas, quas varii varias assignant.

4. Tractatus Germanicus c. 1. pag. 5. & 6. introducit de Joachim S. Augustinum contra Faustum lib. 23. c. 9. Reddo cummet propriis verbis dicentem: *Quod de generatione Mariæ Faustus posuit, quod patrem habuerit ex tribu Levi Sacerdotem quondam nomine Joachim, quia canonicum non est, non me constringit, sed etiamsi hoc crederem, ipsum potius Joachim dicerem aliquo modo ad David sanguinem pertinuisse, & aliquo modo ex tribu Juda in tribum Levi fuisse adoptatum, vel ipsum, vel ejus aliquem progenitorem; vel certe in tribu Levi ita natum, ut de stirpe David Consanguin-*

nita-

nitatem aliquam duceret, (& paulo post) Hoc ergo potius vel tale aliquid crederem, si illius apocryphe Scriptura, ubi Joachim pater Maria legit, auctoritate detinerer, quam mentiri Evangelium, in quo scriptum est, & Jesum Christum filium Dei Salvatorem ex semine David secundum carnem & per Mariam virginem procreatum: ita S. Augustinus. Tractatus in super Germanicus præallegatæ paginæ 6. v. 7. refert S. Augustinum dicentem: Si ergo ex solis istis Scriptis (apocryphis) constat origo Mariæ, valeant Joachim & Anna. Hujusmodi verba Augustinus præmemorato loco non habet, atque S. Anna ne semel meminit Ad rem. Totus liber 23 contra Faustum, concuditur unico folio & versibus viginti edit. 1576. Antwerp. tom. 6. pag. 187. ubi col. 2. conclusio verborum Fausti hæc est: Proinde nec virginis ipsius origo ex hac tribu (Juda) fuisse demonstratur. Unde constat esse David: sed ex tribu Levi unde Sacerdotes, quod ipsum palam est, quia eadem patrem habuerit Sacerdotem quendam nomine JOACHIM, cujus tamen in generatione hac (apud Evangelistam) nulla usquam habitamentio est, quomodo ergo ad hanc Davidicæ cognationis prosapiam Maria pertinere dicetur? Ecce patet cardo totius quæstionis, quod autem Maria & Joseph de cognatione David fuerit, ex sacro Evangelio ibidem probat S. Augustinus: quo salvo, etiam si de patre Mariæ, quod ex tribu Levi Sacerdos fuisset, arctaretur per apocrypha, juxta principio adducta verba, expli-

explicat Doctor sanctus, quomodo diceret Joachim aliquo modo ad David sanguinem pertinuisse. P. Alphonfus Salmeron tom. 3. tract. 28. de iisdem verbis S. Augustini contra Faustum sic loquitur: *Non dubitat bonus Pater Joachimum esse verum virginis parentem; sed illud in dubium vocabat, an esset de tribu Levi Sacerdos: & apocryphum librum vocat eum, qui est extra Canonem sacrorum librorum: quanquam nihil veter in libro etiam proprie apocrypho aliquam veritatem contineri.*

5. Ad tertium sensum glossæ à Bellarmino relatæ (si sic placet) regristandus veniet sermo S. Hieronymo adscriptus: *Postulastis filia Jerusalem*, Baronio 26. Julii in martyrologio docente, apocryphus, licet contenta ejus satis præclara, libris per aliquot retro secula incorporarint viri doctissimi, atque itidem non tam Exegetici, quam tractatus Germanici Auctores, suis usibus adaptarint.

6. Porro ut quæsitis plenissimè respondeamus, ex Græcis PP. Virg. Deiparæ parentes nominatim expresserunt S. Ignatius Epistola ad Joannem juxta bibliothecam Patrum edit. Parisi. & Colon. Eusebius in Menologio Græcorum: Epiphanius supra relatus: Cyrillus Alexandrinus in Epistola sub Ephesino Concil. conscripta. Sergius Hierapolita orat. de natali Mariæ: Anatholius in cantico Nat. B. Virginis. Germanus Constantinopolitanus in Psal 44. & homil. de nat. Mariæ:

Mariæ:

Mariæ: Joannes Damascenus homil. i. de nat. Mariæ: Hippolytus Thebanus in Chronico. Ex Patribus Latinis S. Hieronymus de ortu Virg. S. Augustin. serm. 25. ad Fratres in eremo: Beda homilia in Vigilia Joannis. Hildephons. serm. in nat. Mariæ. Fulbert. Carnotens. in sermonibus de ortu Virg. Honorius Augustodun. in speculo Ecclesiæ, & demum quod supereminet, Martyrologium Romanum Martio & Julio mensibus; unde non est quod hic anchoram figamus diutius, quin potius ad ulteriora enavigemus Mariæ, quæ nos manent.

QVÆSTIO X.

*Quæ sit legalitas seu fides historia S. Ioa-
chim in templo repulsi?*

PLurimæ probationes q. sequenti demon-
strandæ, pro veritate hujus historiæ militant,
cui tamen Germanicus tractatus frigidam suf-
fundere pro viribus attentavit. S. Hieronymus
in oculis ac manibus frequentior, disceptationi-
bus subjacuit, pro cuius integritate vindicandâ,
rein ab ovo aperire necesse est. Vetus codex
inscriptus: *Epistola S. Hieronymi* in celebri Oliva-
rum Conventu Coloniae superest, absque tamen
anno, loco aut nomine impressoris: ante cujus
medium folio 148. epistola centesima argumen-
tum præfert hujusmodi: *Epistola Chromatii &
Heliodori Episcoporum, ad beatum Hieronymum,
librum DE ORTU VIRGINIS MARIÆ, qui à
beato*

beato Matthæo Evangelista editus dicebatur, transferri postulantium. Subnectitur epistola B. Hieronymi ad prædictos Episcopos de eadem re responsiva. Et immediate post, epistola 102. *Petitis à me*, argumento tali insignitur: *Expositio seu translatio HISTORIÆ ANNÆ ET JOACHIM DE CONCEPTU VIRGINIS MARIÆ, pro ut à beato Matthæo scriptum ferebatur.* Postquam volumen istud sacrarum epistolarum crebrò impressioni traditum fuisset, Magister Joannes de gradibus utriusque Juris Professor, anno 1513. id ipsum Lugduni castigatiùs & distinctiùs recudifecit; in cuius secundæ partis tractatu secundo sub numeris 23. 24. & 25. sicut & in Lugdunensi recusione anno 1518. factâ, tres præmemoratæ Epistolæ reperiuntur, eisdem præfixis argumentis (sicut & in alio exemplari anno 1492. per Nicolaum Kesler Basileæ procuso) ne in minimo jota variatis. Anno 1516. ingressit se Des. Erasmus Roterodamus, Basileæ apud Joannem Frobenium S. Hieronymi opera evulgans, ubi arrogatâ sibi plenipotentia ex corpore epistolarum prælibatas tres epistolas evisceravit, atque solitis argumentis spoliatas, suisque obfuscatas Scholiis in Tomi quarti calcem, protrusit velut indoctas, fictitias & à Stylo S. Hieronymi penitus absonas. Paulus Theodorici Clisorius vitæ S. Annæ nuper editæ cap. 1. pag. 9. versu 5. scribit, quod Erasmus istum tractatum seu epistolam: *Petitis à me* S. Hieronymo auctori abrogarit, nullo fultus fun-

fun-

fundamento, ratione, vel auctoritate, ex meriti
 proprii genii libidine, sicut mundo constaret
 universo Jacobo Gretsero Defensionum Bel-
 larmini tom. 2. c. 8. lib. 4. col. 301. lis fuit cum stre-
 nuissimo quodam Negatore, cui Germanorum
 opposuit proverbium, Fatuum plura posse ne-
 gare, quam decem sapientes probare. Erasmus
 istis sanè temporibus, & quamdiu terram grava-
 vit, ob calamum infeliciter luxuriantem, in cen-
 suras plurimorum illustrium, doctissimorum ac
 pientissimorum hominum ineidit, quas evadere
 conatus fuit scriptis apologeticis, quibus Solis
 tomus novus operum ipsius refertus est, & præ
 singulis aliis turget amplius. Condignis quoque
 coloribus hominem istum adumbrarunt Cani-
 sius Marialis lib. 5. Marianus Victorinus in Scho-
 liis epistolarum Hieronymi, Gretserus in Defen-
 sionibus Bellarmini, Possevinus in Apparatu,
 Nicolaus Serarius in trihæresio Judæorum, &
 recentiores, qui à cupido lectore consuli pos-
 sunt. In proposito nostro, suo se ore judicat Era-
 smus, si epistolæ ejus ad tomum 4. Hieronymi, &
 ad Psalterium Arnobii anno 1522. Basileæ emis-
 sum, præliminares, probè expendantur. Videat-
 tur quoque Joannis Nopelii Præfatio in Confes-
 sionem Ambrosianam. Erasmus scribit multa de
 quibus sub finem vitæ indoluit, ut Theodorus
 Petreus in hæreticorum catalogo commemo-
 rat. Erasmo itaque prurientis, præcocisque in-
 genii impudentem rectè attribuemus impetum,
 quo

quo non consideravit infælices sequelas, quas in Lectorum mentibus peperit; aliis viam nutandi stravit, cum tamen ipse historiã rejecti in templo Joachim crediderit, ut patebit ex sequentibus.

2. Sunt qui opponunt Cæsarem Baronium, reprobantem sententiam eorum, qui tractatum de ortu B. Virginis S. Hieronymo auctori adscribunt. Insuper Baronius in Apparatu n. 39. Seleucum ait tractatui de ortu Virginis miscuisse insana & delira quædam commenta, asserente id ipsum auctore ceu Translatore istius Tractatus hæcenus incerto. Ita Baronius. Animadvertendum tamen in operibus Hieronymi tom. 4. Basileensis, Lugdunensis & tomo 9. Antwerpiensis editionis, imò in vetustioribus anno 1508. & 1513 Lugduni procuris, nihil poni quod moribus Ecclesiæ receptum non sit, nec quidquam insanum aut delirum posse reputari, tametsi ante exortum typum, abbreviatores quibusdam exemplaribus fortè absona quædam addiderunt, quorum farraginem reperire licet in Petri de Natalibus catalogo, lib. 8. c. 51. Aliqua etiam Driedo lib. 3. c. 5. par. 4. sub finem ex Annio de Panthere & Barpanthere recitat; & Maldonatus in cap. 1. Matth. edit. 1603. Lugdun. col. 26. rursus alia refert, quasi Heli apud Lucam pater Josephi dictus sit, non quod ejus pater sed quod socer esset, quæ verba sicut & præcedentia in tractatu *de Ortu Virginis* sæpe memorato minimè reperiuntur. commentum prius justè carpit Salmeron tomo

S

2. tract.

2. tract. 38. pag. 209. sanè historiam ejusdem tractatus S. Antoninus par. 1. historiali tit. 4. c. 6. §. 10. asserit rationi consonam, Richelius serm. 2. de Concept. credibilem satis contestatur. In epilogo hujus quæstionis plenissimè concludet P. Lyræus. Aliud dictum Baronii de Isachare Pontifice minus integrum & forte unicum in vectiva ejusdem incentivum, oportunam inveniet satisfactionem q. 11. infra.

3. Nicolaus Serrarius in c. 2. lib. 2. Machabæorum sic scribit: *Sunt in Scripturâ plurimi impiorum sermones & orationes, quarum tamen epitomen & quasi summam Spiritus S. in Scripturis posuit. Cur ergo pia minimè impiorum auctorum scripta, si velit, in breviarium redigere, nobisq; tradere, non possit? cur veritati etiam à prophano prolata divinum testimonium dare non possit, quemadmodum per D. Paulum facit Act. 17. Nonne per gentiles Sybillas, per impium Caipham, per bruta Asina os Dominus locutus est? Veritas à quocunque dicatur à Spiritu sancto est. Ad idem propositum concurrunt apud P. Canisium de incomparabili Virgine lib. 1. c. 13. sequentia: Nihil aliud adversarii faciunt, nisi quod cum Iudæis, Turcis, & Impiis, pro suo arbitrio ea negent, quæ adversus eos facere, & vel Mariæ gloriam, vel Ecclesiæ consuetudinem, sæpè & doctrinam confirmare posse videntur. Hinc illi toties tergiversantur, excipiunt, mordent, rejiciunt, calumniantur, nullo*

in-

interim rationum pondere muniti, nullaque veterum auctoritate communiti, nisi quod suo & suorum palato velint satisfacere. Non recipiunt, sat scio, quæ in operibus Hieronymianis de Maria ortu, presentatione, pueritiâque leguntur, neque nos contendemus, ut isthac narratio auctori Hieronymo Stridonensi attribuat. Verum enim verò, ut opus hoc non sit Hieronymi proprium, an idcirco Christiani etiam ac veteris Doctoris bonique Theologi opus esse desistet? Quis libros Regum & Iob scripseris nondum convenit inter eruditos, & plura sunt Scripta Biblica, de quorum certis auctoribus adhuc sub iudice lis est. Idem multorum veterum monumentis accidit, quæ propterea, velut suspecta, notha & impura non sunt rejicienda, quod velut exposititii partus suos parentes ignorent: An non morosi conviva, ac nimium inhumani videntur hospites, qui cibos aliunde ex locis longinquis apportatos, vel à locis peregrinis apparatus fastidiunt, & contemnunt? digni sanè quos fames tantisper excruciet, donec se gratiores, magisque comes declararent hospiti à quo sunt ad mensam invitati. Vtinam huic seculo mentem largiatur saniolem Deus, ut quid dicatur, non verò quis dicat, attendent homines, ac veritatem ipsam omni studio

candidè per vestigarent, neque tanto supercilio
 inexplorata damnarent, ac de alienis tam tem-
 mere judicarent. Ego nihil omnino vetare cen-
 seo, quo minus eas complectamur historias, quæ
 nihil periculi ac vitii habent admixtum, &
 majorum traditione, veterumque Scriptorum
 narratione fulciuntur, nullo unquam ex bonis
 piisque Doctõribus contradicente. Quod si su-
 perciliosi quidam & nauseabundi adhuc respu-
 unt, quæ de Mariæ parentibus, oblatione, pue-
 ritiaque veteres crediderunt, docuerunt, atque
 scripserunt, non deerunt tamen alii ac majori
 quidem judicio scientiâque præditi, qui ean-
 dem non modo amplectantur, sed cum fructu
 etiam legant, sibi que persuadeant Deum, ut ali-
 bi sæpè, ita etiam in Mariâ virgunculâ glorio-
 sum ac mirabilem extitisse. Hæc ex Canisio ad
 c. 8. vitæ. S. Annæ rescripserunt Cuperus &
 Leuchtius Theologi, vitâ & ætate dum viverent
 graves admodum.

4. Scholasticæ historiæ magister cap. 6. Evan-
 gelicæ historiæ ad nativitatem Salvatoris appli-
 cans prophetias: *Cognovit bos possessorem suum,*
& asinus præsepe Domini sui. In medio duorum
animalium cognosceris, mox subjungit: *Etiã in*
picturis Ecclesiarum, quæ sunt quasi libri Laicorum
hoc representatur nobis. Damascenus quoque
orat. I. de imaginibus ait: Imagines sunt moni-
menta

menta quadam: etenim illiteratis hominibus hoc sunt quod literatis libri. Enimverò si tractatus is de ortu Virginis, velut incerti auctoris rejiciendus foret, ponitur quæstio, an historiæ S. Joachim picturæ, ex templis & claustris abradendæ veniant, laminæ quoque & formulæ libris impressæ eliminandæ? an reformandi quoque veniant testes veritatis multo numero inferius producendi? recognoscendi & recudendi libri? in Cathedris, Doctorum & Concionatorum ora recludenda? veruntamen si liceat antiquorum scripta in dubium vocare, mores, consuetudines, & traditiones Ecclesiæ retractare, an non plurima alia suum robur & firmamentum amittent; sequeturque maxima incertitudo atque confusio rerum in Ecclesiâ Dei. Cui malo obviando juribus provisum est, quod *diuturni mores consensu utentium approbati legem imitentur*. Et juxta S. Augustinum, *quod in iis rebus, de quibus nihil certi statuit divina Scriptura, mos populi Dei & instituta majorum pro lege tenenda sint*. Quibus etiam insigniter consonat S. Thomas summæ par. 2. q. 10. a. 12. verbis hujusmodi: *Dicendum est quod maximam habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ est in omnibus emulanda quia & ipsa doctrina Catholicorum Doctorum, ab Ecclesiâ auctoritatem habet; unde magis standum est auctoritati Ecclesiæ, quam Augustini & Hieronymi vel cujuscunque Doctoris*. Ita S. Thomas. *Quis igitur subvertat (verbis utor S. Leonis Papæ) quod du-*

dum traditio decrevit, & consuetudo firmavit, nec eruditio ignorat, nec pietas pratermittit?

5. Refilio ad S. Hieronymum, de quo Trithemius libro de Ecclesiasticis Scriptoribus: *Hic est verus dispensator Evangelicus, fidelis, prudens, qui proferens de thesauro suo nova & vetera, dansque in tempore spiritualis tritici mensuram conservis suis, Hebræos superbos spoliavit, humilesque ditavit Latinos. Hic est Ecclesie Christi Doctor egregius, qui vestes Esau per devia errorum vagantis, domi otiose reconditas, cum piâ matre Rebeckâ, id est gratiâ Dei protulit, ac mansuetum Jacob, fidelemque & Christo servientem vestivit. Hæc carptim pro gloria S. Hieronymi, qui Hebraicæ historiæ abbreviator legitur, sed primus id negavit Erasmus cuius hac in re facinus n. r. supra denudavimus. Cassiodorus Monachus temporibus B. Hieronymi vicinissimus, in libro unico institutionis divinarum lectionum, suam posuit censuram de libris B. Hieronymi dubiis, quibus non accensuit tractatum de ortu B. Virginis. Quamobrem eruditissimus Canisius lib. r. c. 4. ait: *Quæ in libris Hieronymianis leguntur, parentum Mariæ historiam efficiunt luculentiorē, quæ tametsi ab Hieronymo scripta non essent, ut plerique suspicantur, tamen probatorum aliorum scriptis, quæ diximus haud malè congruunt, & probabiliorē certè narrationem faciunt, sed antiqua fidei scriptorem redolent, cum ob alia, tum in eo sanè**

sanè laudandum, quod adulterinam Seleuci Manichæi de ortu Mariæ historiam, quæ olim etiam piis imponebat, hoc suo labore castiget, ac dissipet, sicut ipse in operis sui præfatione testatur. Quid ergo mirum quod è Theologis & Historiographis prodierunt multi, quemadmodum Germanus, Damascenus, Nicephorus, Metaphrastes, Cedrenus, qui post multos alios Patres præsentis historię sunt veritatem amplexi atque professi. Hactenus Canisius.

6. Auctorem tractatus huiusmodi, ceu doctum & gravem ad effectum probationis vel doctrinæ, citarunt Franciscus Suarez pluries tomo 3. in 3. par. D. Thomæ q. 27. disp. 2. sect. 1. Sebast. Baradius lib. 6. c. 3. & 6. Joannes Maldonatus in c. 1. Matth. edit. anno 1602. Lugdunensis col. 26. noster Jacobus Suarez Doctor Theol. & anno 1597. Christianissimi Regis Concionator in festo Concept. Mariæ. Joannes Lorinus Act. c. 1. vers. 14. Joannes Bonifacius c. 6. vitæ B. Virginis. Lucas Pinellus in meditationibus ex B. Virg. Historiis depromptis Colonix anno 1601. editis. Franciscus de Mendoza in libri 1. Reg. 1. cap. n. 20. & n. 23. Abrahamus Bzovius Princ. Panegyrici 3. in nat. B. Virg. Matth. Faber SS. Theol. Licentiatus in conc. in nat. B. Virg. & totus propè Chorus Præfulum, Doctorum, & Regularium paulò post sequenti quæst. ulterius producendorum. Imò Erasmus ipsemet licet tractatum de

Ortu Virginis S. Hieronymo auctori abrogari, contenta tamen ejusdem credidit, ut videre licebit tom. 5. operum Erasmi anno 1540. Basileæ edito pag. 1109 inter hymnos, & in Hagiologio Georgii Vicelii ad festum S. Annæ, ubi Rithmus Jambicus in laudem S. Annæ Avixæ JESU Christi ab Erasmo depromptus sic incipit: *Salve parens sanctissima, sacro beatâ Conjuge, sacratione filiâ, nepote sacratissimo.* Particularia historiae suis locis dabimus.

7. Quid moramur? Erasmus rimam coepit, quæ aliorum quorundam concursu graviolem hiatum sortita, ut nobilissimâ coronide refarcitur, restat. Doctissimus Pater Hadrianus Liræus Trisagii Mariani lib. 1. sono 34. subministrat sequentia: *Verum quidem est S. Evangelii codicem nihil de his commemorare, sed tantam, tamque luculentam è SS. Patribus impositam nobis esse testium nubem, ut amentes planè dicendi simus si his negaverimus fidem.* Princeps in eam rem prodeat S. Hieronymus, qui aureo illo, quod de ortu ac nativitate B. Virg. Mariæ inscribitur, opusculo, probè rem totam contestatam reliquit. Ne verò quisquam de libri hujus authoritate ambigat, ob Melchioris Cani liberiores obelos, gravioresque asteriscos, quibus illum cum Sixto suo Senensi confodere ac jugulare conatus est, paucis expedio veritatem.

Olim

Olim teste S. Epiphanio heresi 26. editus erat pestilens quidam ac nefarius liber, stirpis Mariana nomine insignis: qui cum mendaciis plurimis scateret, à Gelasio Pontifice damnatus fuit: ex tituli affinitate pati quoque innocens cœpit, ac pro annili fabulatore inter homines censeri, cum tamen in toto illo libro, re forsitan unâ, alterâve, uti homines sumus, exceptâ, legatur nihil, quod à gravissimis auctõribus Eustachio in hexameron, Germano in encomio de presentat. Evodio, Ioanne Damasceno, Simeone Metaphraste, Nicephoro, aliisque non referatur. Ad auctorem verò quod attinet, magnum ubique silentium, nisi quod omnes Hebræum quendam fuisse velint, virum doctum ac pium, quem deinde alius in Græcam linguam mutavit, ex Græcâ autem S. ipse Hieronymus rei dignitate ac gravitate materia oppidò delectatus, in Latinam convertit. Ita post Petrum Canisium lib. 1. de B. Vrg. sentit. P. Christophorus à Castro in Roseto Mariano, qui & hoc addit, nihil in eo legi vel à ratione alienum, vel quod sanctissimorum & gravissimorum Patrum illustri nequeat auctõritate firmari. Hactenus P.

Lyræus.

S 5

Q V Æ.

QVÆSTIO XI.

*Quibus testibus fulciatur historia SS. Ioa-
chim & Anna?*

UT verbo dicamus, veritatem istius historię quam maximè unicus confirmat Ecclesię consensus, qui quidem enatus fuit ex traditionibus & historiis antiquissimis, insuper & SS. Patribus, aliisque omnium ætatum ac nationum Scriptoribus, de quibus singulatim aliquantò fufius agendum erit consequenter.

2. TRADITIONES per manus majorum ad Scriptores derivatę sunt, quas reverenter citant Origines hom. 26. in Matth. Basilius hom. 25. ex variis tom. 1. Epiphanius hæresi 79. S. Joannes Damascenus serm. 2. in assumpt. Simeon Metaphrastes cap. 44. de vitâ & dormitione B. Marię. Baronius in Apparatu Annal. n. 38. cujus hæc sunt verba: *Ceterum non adeò obscura remansit de Marię parentibus historia, quam tum in scriptis, tum etiam traditionibus consignatam fuisse auctor est Epiphanius. Porro integra ipsa historia excidisse videtur, ex eaque tantummodo hinc inde sparsa remansisse fragmenta: quę etsi deessent, satis esse deberet piis hominibus ipsa traditio, cujus item meminit Epiphanius. Quod enim, inquit Augustinus, universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum sed semper retentum est, non nisi Apostolicâ auctoritate traditum rectissimè creditur &c. Ita & de traditionibus talibus magna pronunciarunt*

Geor-

Georgius Wicelius ferm. de nativ. B. Virg. in suâ Ecclesiasticâ Demegoriâ anno 1571. Coloniae Germanicè procusâ. Laurentius Cuperus & Valentinus Leuchtius c. 3. vitæ S. Annæ primum anno 1595. Freiburgii in Uchtlandiâ, dein anno 1610. Moguntia Germanicè prælo commissæ, Salmeron tomi 2. tract. 12. pag. 111. Suarez tom. 3. in 3. partem D. Thomæ q. 27. disp. 2. sect. 1.

3. HISTORIA Primæva pubescentis Ecclesiæ ex traditionibus coaluit, quam præter Baronium præallegatum, evanidam planxerunt viri illustres, Canisius, Cuperus, Leuchtius, Baronius & Junius: ejusdem meminit Epiphanius hæresi 79 Gregor. Nyssenus in orat. de Nat. Domini, Simeon Metaphrastes pag. 278. apud Jodocum Coccium & pag. 231. apud Aloysium Lippomanum: Suarez loco paulò ante citato, & alii multi, de Historiâ autem 12. tribuum, & Cyrilli epistolâ diximus princ. quæstionis secundæ supra, quibus adstipulantur S. Hieronymi epistola: *Petitis à me*, Honorius Presbyter Augustodunensis ferm. de nat. B. Virg. & S. Antoninus 4. part. summæ tit. 15. c. 4. & 6. SS. Patres adducit Biverus dissert. 3. pag. 602. De variis Themefwar Stellarii lib. 1. p. 6. a. 3. c. 1.

CONSENSUS & Consuetudinis testes.

4. Primatum dabimus S. Romanæ Ecclesiæ omnium aliarum matri: siquidem in festo S. Annæ veritatem astruit ejusdem Ecclesiæ Breviarium, anno 1491. promotore Andrea Thorefano

fano de Afulâ Venetiis dein anno 1520. & 1532. Parisiis per diversos impressum: in super Breviaria concurrunt antiqua Metropolitanum Coloniense anno 1508. per Joannem Philippi Alemani typis descriptum; Moguntina annis 1507. Lugduni, per Franciscum Frondin, anno 1509, & 1517. Moguntia per Joannem Schöfer prælo data, Breviarium Wormatiense jussu Theodorici Episcopi recognitum & anno 1576. Moguntia apud Casparum Behem impressum: Breviarium Parisiense circa finem in festo S. Joachim, Diurnale Ordinis Carmelitarum anno 1503. Parisiensibus typis exaratum. Breviarium Ordinis Prædicatorum anno 1516. Parisiis apud Joannem Petit impressum. Officium vetus de S. Annâ, votivum, Regularium Sanctimonialium S. Augustini prope Andernacum: Testatur in super Joannes Eckius homil. de S. Annâ observationem ejusdem historiae in Hierosolymitanâ vigere Ecclesiâ. Patres quoque hanc veritatem secutos aliquoties dictum est in præambulis. Itaque omissis omnibus hætenus adductis percurramus reliquos.

5. PRÆSULES. S. Vincentius Bellovacensis Episcopus, natione Burgundus, ex Ordine Prædicatorum, speculi lib. 7. cap. 64. vixit anno Domini 1240. Jacobus de Vitriaco Episcopus Cardinalis Tusculanus, Orientalis historiae cap. 59. & 62. obiit anno 1244. S. Bonaventura ex Ordine Minorum Cardinalis Episcopus Albanensis vitæ Christi

Christi c. 4. in fine, anno 1273. decessit. Jacobus à Voragine ex Ordine Prædicatorum, Januensis Archiepiscopus historiæ Lombard. n. 126. & serm. in nat. B. Virg. floruit anno 1280. Bertrandus de Turre ex Cabolico Aquitanus, ex Ordine Minorum Archiepiscopus Salernitanus, Presbyter Cardinalis serm. 2. in natali Domini. Scripsit circa annum 1300. S. Antoninus Florentinus Patriæ suæ, ex Ordine Prædicatorum Archiepiscopus, speculi historialis tit. 4. c. 6. §. 10. obiit anno 1459. Robertus Caracciolus à Licio ex Ordine Minorum, Episcopus juxta Gonzagam Liciensis, aliis Episcopus Aquinas (seu Aquilæ Marforum) serm. 25. cap. 3. floruit anno 1470. Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus Catalogi Sanctorum lib. 8. cap. 51. eadem ætate floruit. Seculo decimo sexto Jacobus Feuchtius Doctor, Episcopus Naturensis, Suffraganeus Bambergensis, serm. 1. in festo Concept. Seculo præsentis Joannes Lopez Hispanus Episcopus Monopolitanus, Ord Prædicatorum, atque Henricus Fabricius Episcopus Daualiensis, Suffrag. Spirensis in vitis Sanctorum Germanicis de S. Annâ.

6. DOCTORES & Scriptores varii. Michael Glycas anal. par. 3. Joannes Belethus insignis Theologus circa annum 1200. juxta Jodocum Coccium Academiæ Parisiensis olim Rector, citatur ab Equilino lib. 3. cap. 226. Passionale Sanctorum, veteris Saxonæ idiotismo mox post typum

pum exortum impressum, de festo S. Annæ, conceptione itidem & Annunciatione B. Virg. Anonymus Batavus, parte 1. §. 31. plenius declaratus, qui anno 1486. scripsit: Ludolphus sive Rudolphus Suchensis Parochus in Francofurtensi editione anni 1584. pag. 449. de templo, fuit in Palæstinâ ab anno 1336. ad plures annos. Martyrologium, Viola Sanctorum dictum, annis 1487. 1499. & 1508. typis descriptum. Michael Lochmayer SS. Theol. & Juris Pontificii Doctor in festo Præsentationis. Speculum redemptionis humanæ pag. 12. Rudolphus Agricola Friso, vir Latinè, Græcè & Hebraicè doctissimus, in poemate de S. Annâ sæpissimè recuso: obiit anno 1485. Hermannus Nitzsche witz Brandenburgicus, Juris Consultus clarissimus, Sacellanus Frederici Tertii Imperatoris, in principe Abbatia Cisterciensi Trena impresso. Nicolaus Simonis in studio Erphurtensi Magister, ex Belgico anno 1495. translator vitæ S. Annæ Germanus. Porro seculo decimo sexto Paratus in festo Concept. & Præsentationis. Gabriel Biel in Nat. B. V. Meffret serm. 1. de Concept. Judocus Badius Ascensius, in epitome vitæ S. Annæ. Jacobus Wimpfelingus principio Fastorum Mantuani. Georgius Wicelius in festo nativ. B. Virg. & in Hagiologio, Judocus Clichtovæus Doctor Galus serm. de Nat. & Præsentat. B. Virg. atque in commentario super Joannis Damasceni lib. 4. de Orthodoxâ fide cap. 15. Joannes Eckius Sues-

us Doctor, in homiliis de S. Annâ. Conradus Wimpenna de trinubio S. Annæ c. 16. edit. 1531. Coloniens. Petrus Wilderath, Adrichomicus Delphus in descriptione Jerusalem edit. 1585. Coloniensis pag. 142. Historia vitæ Salvatoris Gallica eodem anno per Joannem Philimotte Lugduni procusa. *Demum currente seculo.* Valentinus Leuchtius SS. Theol. Doctor, Comes Palatinus, & ad S. Bartholomæum Francofurti Canonicus, libris binis de vitâ S. Annæ, atque Viridarii Regii lib. 3. cap. 32. Rubertus Turnerus orat. de nat. B. Virg. Franciscus Haræus in festo S. Annæ. Samuel Loyaerts Doctor Lovaniensis Conc. de Nativ. B. Virg. Laurentius Beyerlinck parte 3. prompt. moralis in festo Præsentat. & in theatro Mundi in verbo: Angelus. Joannes Hefselbach serm. 10. de Concept. Lommeshcim serm. 3. de Concept.

7. REGULARES Viri Ordinum, quos juxta antiquitatem, qui primò ex aliquo Ordine scribere cæperunt, locamus; omissis iis qui inter Præsules vel paulò citiùs quæst. immediatè præcedenti ad fidem hujus historiæ adductæ sunt. Vincentius Ferrarius de Valentiâ, SS. Theolog. Doctor sermonibus de Concept. & Nat. B. Virg. & de S. Annâ. Petrus Hieremiæ Siculus Panormitanus, sermonibus duobus de S. Annâ. Joannes Herold serm. 5. de Sanctis. Joannes Niderus Suevus SS. Theol. Doctor in Nat. B. Virg. Guilielmus Pepinus & Thomas de Trugillo in Nat. B. Virg.

B. Virg.

B. Virg. & in festo S. Annæ, *omnes Ordinis Predicatorum*. Præterea Otto Passauicus SS. Theol. Lector Throni aurei anno 1386. Basileæ conscripti sect. 12. Oliverius Maillardus Armoricus Britannus, Doctor Parisiensis, ac post annum 1486. familiæ Cismontanæ tertium Vicarius Generalis in festo S. Annæ. Pelbardus à Themesyvar Provincialis Hungariæ SS. Theol. Lector stellarium lib. 5. p. 1. a. 1. c. 11. Petrus Galatin lib. 7. cap. 8. Amandus Zirxiensis Zelandus triennalis Provinciae Coloniae Minister & SS. Theol. Lector. Legendæ de S. Annâ pag. 14. & in Chronico edita 1534. Antwerpiensis fol. 46. Joannes Royardus Flander è veteribus Nervii in nativ. B. Virg. Andreas à Soto Hispanus, Nationum Germaniæ, Belgii &c. Commissarius Generalis c. 7. vitæ S. Annæ Hispanicè evulgatæ. Joannes de Carthage itidem Hispanus SS. Theol. Romæ Lector Generalis lib. 3. de arcanis Deiparæ homiliis 1. 4. 5. & 6. & Simeon Manhardus Germanus, olim SS. Theol. Lector serm. 2. de Concept. B. Virg. *omnes Ordinis Minorum*. Deinde Ludolphus Saxo vitæ Christi par. 1. c. 2. Petrus Sutor Theol. Paris. Prior Trecentis de trinubio S. Annæ. Richelius in Præsentat. & serm. 2. de Concept. Bornius & Dorlandus in histor. S. Annæ. Liber MS. Carthusiæ Coloniensis. Surius 21. Novemb. Lansbergius serm. 2. in festo S. Annæ, edit. 1545. Colon. fol. 216. & Zacharias Lippeloo, *omnes Carthusiani*. Cæterum Joannes Baptista Mantuanus

tuanus SS. Theol. Doctor *Ordinis Carmelit.* tom. 2. principio libri 2. Parthenices. Trithemius de miraculis S. Annæ, & Joachimus Perionius Cameriacenus in vitâ Christi & B. Virg. *Ord. S. Benedicti.* Joannes Mamburnus *Ord. Canonorum Regul. S. Aug.* Roseti tit. 24. alph. 56. membro 1. 5. 7. 8. & 9. alphabeti 60. memb 4. Christianus Massæus *Hieronimianus* princ. lib. 8. Chron. mundi. Porro Canis. *Marial.* lib. 1. c. 4. Maldonatus comment. in c. 1. Matth. col. 26. Salmeron tom. 4. par. 2. tract. 11 pag. 327. Franciscus Costerus in meditat. de vitâ Deiparæ. Joannes Osorius in festo S. Annæ. Petrus Anton Spinellus amoris Deiparæ c. 4. edit. 1620. Colon. pag. 310. Jacobus Alvarus de Patz lib. 3. par. 2. c. 5. med. 3. Jacobus Canisius medit. par. 3. §. 4. Petrus Biverus in privilegiis B. Mariæ pag. 253. 263. & 275. Matthias Faber in Auctario in festo S. Annæ thémate 1. *omnes Societatis Jesu.* Bruta quædam animantia progrediuntur quidem, minùs tamen considerant, quorsum vadant, sic oves ovem, grues gruem sequuntur. Absit ut cogitemus viros istos sanctissimos ita viam historiæ Ecclesiasticæ calcasse, quasi ad lumen veritatis omnium caligassent oculi. Tot seculorum, nationum, & linguarum testes isti Orthodoxi claruerunt inconcussi, de re Christianâ optimè meriti, quibuscum decet agamus circumspectiùs, quam quod jam tandem eos imprudentiæ errorumque in simulemus, dum historiâ SS. Joachim & Annæ allegant, aut ejus contenta usurpant.

T

QVÆ-

QVÆSTIO XII.

De Sacerdote qui S. Ioachim ab
altari repulit.

NE cunctemur longius, expediamus instantiam, quod Isachar summus Pontifex apud Flavium Iosephum Hebræum non reperiatur, cui asserto facilem & claram pro auctore tractatus *de Ortu Virginis*, olim responsionem Cupe- rus & Leuchtius Theologi cap. 8. vitæ S. Annæ dederunt verbis totidem: *Cæsar Baronius Saranus in Apparatu Annalium hunc Scriptorem mendacii arguit, quod narret Isacharem illis temporibus summum fuisse Pontificem, sed ille scriptor non addit dictionem: summum; quapropter Isachar intelligi potest, ut debet, Pontifex, id est Sacerdos: nam Germanus Constantinopolitanus pro Isachar pontifem Zachariam, quem postmodum in Presentatione allocuta sit Anna. Verba huiusmodi confirmando, hæc addenda videntur, quod Beda super i. c. Matthæi actualem sacerdotii functionem nomine Pontificii inscribat: deinde quod Isachar in tractatu *de Ortu Virginis*, ob functionem muneris, primum Pontifex dictus, paulo post ibidem Sacerdos indigitetur.*

2. Tradunt insuper Hugo Cardinalis in c. 1. Lucæ, & Scholasticæ historiæ Magister principio Evangelicæ historiæ, & alii, quod David ampliare volens cultum Domini, 24. instituit summos Sacerdotes, quorum unus tamen major, dicebatur

Prin-

Princeps Sacerdotum. Cardinalis Cajetanus in
in c. 1. Lucæ istos 24. vocat Principes Sanctuarii,
additque, quemlibet istorum in ordine vicis suæ
potuisse fungi officio summi Sacerdotis. Præ-
terea constat, dum huiusmodi summi Sacerdo-
tes vitâ fungerentur, quod primogeniti succes-
serint, donec accesserunt Dominatores Roma-
ni, & quidem quod novissimè Herodes, qui fuit
tempore Pompei, & postea à Romanis in Regem
Judææ electus, ut tutius ei esset pro libitu guber-
nare, secutus exemplum Antiochi, ex plebejo-
rum fece summos Sacerdotes creavit, & passim
pro arbitrio deposuerit, alios denuò substitue-
rit, & ex assiduâ hac & frequenti magnorum Sa-
cerdotum mutatione, ortum sit, ut qui tam diu
Pontificatum gerere debebant, secundum legis
præceptum, quamdiu vita duraret, paucis annis
& multi etiam paucis diebus eo fungerentur of-
ficio, quousque tandem propter avaritiam Ro-
manorum, & Judæorum frequentes dissensio-
nes, & annui fierent Pontificatus, & pecuniis
venderentur, ut latius tradit Josephus lib. 22. An-
tiquitatum & Hugo citatus, qui etiam probat
opinionem dicentium, quod super 24. summos
istos Sacerdotes, nullus fuerit Princeps Sacer-
dotum, sed ille cuius hebdomada incidebat deci-
mâ die Septembris, per totum illum annum fue-
rit Princeps Sacerdotum. P. Lyræus Trifagii
lib. 1. sono 34. censet Isacharem Pontificem
non summum suæ gentis Antistidem, sed è Sa-

cerdotum fortasse Principibus aliquem fuisse.

3. Est enim considerandum, quod ex assidua & frequenti Sacerdotum mutatione, consuetudo inducta fuit, ut qui semel per annum vel tempus aliquod Pontificatum gessissent, quamvis dignitatem relinquerent, Pontificis tamen nomen non amitterent, sicut qui apud nos Episcopatum renunciat, Episcopi nomen non amittit: quod ita fuisse constat ex Josepho lib. 2. de bello Judaico, ubi bis aut ter diversis capitibus, Pontifices appellat eos, qui Pontificatu functi fuerant, quamvis tum non essent Pontifices. Ad stipulantur Lorinus Actuum c. 4. v. 6. & Carol. Sigonius de republ. Hebræorum lib. 5. c. 2. in fine. Abulens. in c. 2. Matth. q. 26.

4. Baronius Apparatus Annalium n. 36. tradit, 24. fuisse Sacerdotum vices, quarum singulae habuerint hominum plus quam quinque millia, qui stans diebus in templo ministrarent, & quidem ad septuaginta Sacerdotes ministrare in templo quotidie solitos fuisse, cædendo victimas. Denique legimus Sacerdotum muneris fuisse, quotidie cum Sacerdote magno incensum offerre supra altare holocaustorum, similiter quotidiana secundum vicem suam offerre sacrificia: insuper, si quando pro populo vel privatis personis præter consuetum ordinem offerendum esset, sacrificium offerre, demum sacrificia facere, quæ pro singulis festis præscripta erant. Ex præmissis ad propositum nostrum quilibet facile

facile eliciet solutionem nodi Herculei ab adversariis obtrusi.

5. Eum qui S. Virum Joachim ab altari rejecit, SACERDOTE M (non Pontificem) inscripserunt Jacobus de Voragine, Petrus de Natalibus, S. Vincentius, Themefwar, Ludolphus, Richelius, Petrus Hieremiæ, Passionale Mantuanus, Agricola, Themefwar, Galatinus, Trithemius, Nitzsche witz, Canisius, Oforius, Lippe loo, Fabricius, Leuchtius, Feuchtius, Laurentius Beyerlinck in theatro verbo: Angelus. Lommeshheim, Haræus, Hesselbach, atque ipsemet Erasmus q. 12. producendus, ex causâ utique ne putaretur summus Pontifex; ita & in officio per Sixtum V. edito, Isachar non Pontifex sed Sacerdos indigitatur.

6. Nomen non expresserunt, Richelius, Petrus Hieremiæ, Passionale, Nitzsche witz, Mantuanus, Themefwar, Agricola, Trithemius, Feuchtius, Clichtovæus, Royardus, Oforius, Adrichomius, Lommeshheim & Manhardus, eâ fortasse providentiâ, ne aliquando in Syllographum inciderent.

7. Juxta Josephum lib. 13. antiq. c. 22. atque Joannem Nauclerum Præpositum Tubingensem vol. 1. Gen. 63. anno ab urbe conditâ 710. Octavianus Augustus imperare cœpit: Anno V. C. 718. Antigonus, Hircani Pontificis auriculas truncavit &c. ab eo igitur anno Sacerdotium Judæorum usque in præsens tempus defecit, sic

Sacerdotes, qui idem quod Christi, id est, uncti, ex Danielis Prophetiâ finem acceperunt. Ita & Haymo sacræ historiæ principio tradit, in Hircanum, Judæorum ultimum Pontificatum devenisse, quid ergo postea de vero summo Pontificatu disceptamus?

8. Sane Auctor Exegetici, ante ejus editionem, scrutatus fuerat Josephum, aliosque qui ex eo suas impleverunt lacunas, id lucis quod in Josepho reperit, censuit creperum ambiguumque nimis, unde vespertilioes imitari voluit, qui solem lucis fontem die fugiunt, faculas noctu atcupantur. Siquidem Flavius Josephus in Christianorum rebus referendis non satis æquus fuit, sicut notarunt Benedictus Pererius in c. 29. Genes. disp. 1. Possevinus bibliothecæ selectæ tom. 2. lib. 16. c. 14. Toletus annot. 3. in c. 5. Joannis.

9. Antigono ultimo Judæorum Rege, à Romanis perempto, Herodes alienigena, Judæorum suscepit Principatum & Sacertotium, quod tunc destructum est, & vicissitudinibus confusum, fuitque in templo abominatio desolationum, ait Freculphus Episcopus Leycoviensis Chronicorum tom. 1. lib. 7. c. 13. Judæa itidem in varias à divina lege alienas sectas, discissa erat, uti ex Josepho, Epiphanio & Hieronymo, Constantius Peregrinus refert historiæ moral. collat. 51. Ex his patet non tam deplorata facies temporum, quam Sacertotii, ut ex talibus consequenter certum nihil possit inferri, nec concludi con-

tra historiam nostram, quæ si non sapiant, placeat pro Isachare Zachariam substituere ex fundamentis à Cupero in Genealogia & vita S. Annæ c. 8. pag. 94. descriptis.

QVÆSTIO XIII.

De tempore Ioachimi in templo rejecti.

Repulsam hanc in festo Encœniorum factam, perhibent historia 12. tribuum, & S. Hieronymus *de Ortu Mariæ*, quos antiquissima Breviaria & Scriptores omnes secuti sunt; à quibus tamen recesserunt duo, quorum alter festum paschatis, alter festum tabernaculorum expriment, plures nullum certum diem specificant: videndum itaque obiter quantum huiusmodi festa discrepent. Institutionem festi Encœniorum discimus ex verbis 2. Machabæorum c. 10 sequentibus: *Qua die autem templum ab alienigenis pollutum fuerat, contigit eadem die purificationem fieri vicesimâ quintâ mensis, qui fuit Casleu, & cum letitiâ diebus octo egerunt in modum tabernaculorum, recordantes quod ante modicum temporis, diem solemnem tabernaculorum, in montibus & speluncis more bestiarum egerant.* Consonat Franciscus Ribera de templo lib. 5. c. 18. & alii.

2. Ad propositum, & pateat quid inter huiusmodi festa intersit, divina nos eloquia Exodi 28. & Deut. 16. instruunt, quod mares in festis Paschatis, Pentecostes & Tabernaculorum, tenebantur apparere in templo Domini; veruntamen

men supra c. 16. Deut. Liranus annotat: *Illis qui erant longè à Ierusalem, parcebatur de duobus festis scilicet Pentecostes & Tabernaculorum.* Ergo solus Joachim & non Anna, in Paschate ascendere obligabatur. Encæniorum autem festum sive ultimæ dedicationis templi, non legale sed accidentale, neque immediate à Deo, sed ab hominibus institutum, (à Christo tamen honoratum,) non cadebat sub præceptum illud frequentandi, sed in sanctis conjugibus spontaneæ pietatis proprius motus fuit; unde etiam non satis liquet an ipso die festo, an vero infra Octavam se templo cum muneribus præsentarint, quando Isachar Sacerdos S. Patriarcham Joachim cum muneribus ab altari rejecit.

3. Maturemus, ut jam tandem pro historiâ facti Clypeum defensionis objiciamus tractatur Germanico, qui aperto Marte, avitam istam traditionem, allectis Scripturis atque exemplis tam sacris, quam prophanis, invasit, interpositis paraphrasibus & moralisationibus copiosis. Tametsi nostrarum virium non sit par parireferre, curabimus tamen ut objectioni consentiat responsio, conformando nos doctrinæ Originis, qui in c. 13. Matth par. 2. ait: *Quisquis non profert de thesauro suo nova & vetera, non est scriba doctus in regno cælorum.* Omnibus igitur modis conandum est, ut congregemus in corde nostro, attendentes lectioni, exhortationi & doctrinæ, & in lege Dei meditando die & nocte, non solum nova Evangeliorum
ora-

oracula & Apostolorum, & horum explanationes, verum etiam vetera legis, umbram habentis futurorum bonorum ac prophetarum, qui his consentaneae prae dixerunt. Hac autem colligentur quum & legerimus & intellexerimus, & memores horum, spiritualia spiritualibus tempestivè comparantes, sed comparabilia quandam sermonis similitudinem idem declarantis habentia, tum in sensibus, tum in dogmatibus, ut in ore duorum triumve aut plurium testium, è Scriptura citatorum, fundemus, & confirmemus omne verbum Dei. Ac per hoc silentium imponendum est his, qui quod in ipsis est, Deitatem dividunt, & à veteribus nova dissecant, quippe qui procul absint à similitudine Patrisfamilias, proferentis de thesauris suis nova & vetera.

QVÆSTIO XIV.

*De ratione intrinsecâ tentationis
S. Ioachim.*

COelestis Sponsus animæ electæ per gratiam & charitatem sibi arctius desponsatæ, loquitur: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*, Cant. i. cap. Tentationes revera aureæ sunt, attamen sapienti Dei dispositione pro conservandâ humilitate viatorum, ut in patriâ comprehensores, evacuato quod ex parte est, puro putoque auro refulgere possint, in præsentî, argento vermiculantur, involvuntur, & teguntur; ne pretium humano pateat obtutui ac iudicio primâ fronte, ideoque vilescant,

T §

nec

nec magni æstimentur, juxta illud: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei.* Historiam ipsam protulit Exegeticon de S. Annâ historicum. Juxta condictum hîc subdimus fragmentum Rhythmi Jambici Erasmi, qui S. Annam sic alloquitur: *Ar te, pio cum conjuge, amore prolis annua templis ferentem munera, pro cax Sacerdos reppulit. Heus, inquit, hinc mihi ocius prophana vota tollite. Ipsi simul procul, procularis sacris absistite: vestrane Deo donaria futura grata creditis?*

2. Secundùm apparentiam humani captus primam, ut talem tentationem S. Joachimi incongruam, ideoque incredibilem opinemur, audiamus tractatum Germanicum sic opponentem: quod etsi misericordis Dei bonitas pro suo arbitrio, divinâque providentiâ, sæpè permittat fideles, etiam justos & sanctos, in præsentî vitâ opprobriis, adversitatibus, & amaroribus ad tempus exponi, nunquam tamen concedat suos tentari supra id quod possunt, sed faciat cum tentatione proventum, ut sustinere valeant, & non confundantur, & hoc quidem conformiter divinis promissis, quod in Domino sperantes non confundantur, quod revera Joachimo & Annæ primariis Dei sanctis evenisset, si publicitùs, coram facie universi cætus, per Sacerdotem ab altari fuissent rejecti, & à Deo, in quo spem posuerant, consolationem non reportassent; (cum pater cœlestis non permittat suos electos confundi,)

di) quinimò cum mulier in adiutorium viri creata sit, non videtur quod absque mutuo scitu & placito ab invicem sequestrati, in quintum mensem ita perseverassent, & postea ad monitionem ab Angelo utrisque factam, Hierosolymam ad locum publicæ confusionis tam citò revertissent, quorum similia exempla in sacris literis non extarent: Melius itaque & honestius fore loqui, & conclusionem statuere divinæ misericordiæ convenientiorem, quod Joachimus ab Altari rejectus non fuerit, nec se à conjugē separarit, hæc ille &c. Annon apparenter ista sunt argentea involucra & tegumenta deforis, ut aurum interiorius absconditum non appareat? ac ita fit, ut ignota nulla sit cupido, nec homo aliter iudicet, quam secundum ea quæ parent: attamen *decor filia Sion ab intus est.*

3. Equidem ut aurum tentationis Joachimi ad justum lapidem Lydium revocemus. suisque ponderibus libremus singula, necesse est, rem à fundamentis auspicando, primum inspicere originem, naturam & qualitatem humanorum actuum. Ad quæstionem itaque cur Deus hominem tentari permittat: S. Augustinus II. super cap. I. Genesis respondet: *Non videtur mihi magna laudis, si propterea possit homo benè vivere, quia nemo malè vivere suadebat: & aliam causam assignat ibidem cap. 8. dicens: Quæ palma & victoria gloriosior est, tentationi non consensisse, quam tentari non potuisse? Secundam vero causam idem*

affi-

assignat in Enchir. 7. cap. dicens: *Oportebat fieri primum hominem, ut bene velle & male posset, non gratis si bene, nec impune si male.* Quod Richardus latius declarat dicens: *Deus hominem permittere debuit tentari: quia Princeps statuens legem justam, permittere debet eam observari, nisi ex gratia velit cum aliquo dispensare.* Lex autem communis & iusta instituta est à Deo, homines uti posse libero arbitrio sui, sive ad bonum Deo adjuvante, sive ad malum Deo permittente & non cooperante: sed in tentatione datur occasio usus hujus. Porro lex ista scripta est digito Dei à sapiente denunciata, *Eccl. 15.* ubi dicitur: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui, & adjecit mandata & praecepta sua, si volueris conservare mandata conservabunt te, (& sequitur) apposuit tibi aquam refrigerii & ignem scilicet supplicii, ad quod volueris appone manum tuam.* Tertia causa resultat, quod de malo provenit bonum, ipsis malum facientibus, unde super illud *Rom. 8.* *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum,* dicit glossa: *etiam peccatum.* Quia ex hoc fortiores, cautiores, & magis humiles resurgunt, & frequenter magis grati sunt, & magis diligunt, sicut protestatur Dominus dicens: *Cui autem minus dimittitur minus diligit.* Quartam causam addit Magister sententiarum lib. 1. allegans S. Augustinum Enchir. c. 27. dicentem, quod Deus non fineret mala fieri, nisi de malo elicere bonum posset: imo dicit Magister

ster sententiarum in primo dis. 48. allegans S. August. Quod Deus quasdam voluntates suas bonas utique, implet per malorum voluntates malas, sic per malevolos Judæos, bonâ voluntate patris, Christus pro nobis occisus est.

4. Verum ne ista, doctis pervia, velut gratis dicta putentur, videamus quantum illa Scopo nostro inserviant. Isachar Sacerdos inordinate & malè repulit ab altari virum S. Joachim: hic instantiâ humili & affectuosâ Isacharem deprecatus fuit, sed minimè exauditus, unde patienter exivit de templo, humanæ confusionis satur, deserta loca petens, & cum esset vir nobilis secundum hominem non motus, vindices aut minas rependit, sed exercitio liberi arbitrii, atque per imperium rectæ rationis, actus heroicis patientiæ elicuit, fiduciâ ad Deum firmâ, apud eundem suspiriis misericordiæ illicibus ex imo pectore ductis, jugiter interpellans: sicut S. Vincentius Ferrarius prophetico clarus spiritu, explicatius & specialius pro concione omnia ista ad populum docuit.

5. Claret itaque evidentissimè quod Isacharis excessus justo Joachimo amplioris virtutis exercitium creavit, eidem ad meritum, & Ecclesiæ Dei, in exemplum perpetuum; ad quod respiciens Petrus Hieremiæ in Nat. B. Mariæ virg. occasione repulsi Joachim sic loquitur: *Propter confusionem quam recepit Joachim à Sacerdote, instruntur viri ad habendam patientiam in injuriis factis,*
sicut

sicut *Joachim*. Clichtovæus Doctor, eodem loco, eadem occasione sic scribit: *Si rebus adversis quatiatur & duris angamur casibus, ea æquo animo feramus, mente nobiscum volentes, quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei: & quod omnes qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patiantur, atque interim in patientiâ nobis possidenda sit anima nostra.* Hoc fundamento posito, ad alia objectionis particularia membratim enucleatius satisfiet responsis immediatè subnexis.

QVÆSTIO XV.

An credi possit S. Joachim à Deo desertum fuisse?

UNiversaliter primo respondetur: Deus non deserit hominem nisi prius ab ipso desertus sit. Quando verò Scriptura dicit, publicanos & peccatores appropinquasse Christo, eos prius ab ipso recessisse atque elongatos fuisse insinuat. Recedimus autem à Deo, ipsumque accedimus, non gressibus corporis, sed affectu cordis: tunc enim appropinquamus eumque accedimus, quando firmâ spe, charitate, sapientiâ, patientiâ, & similibus Dei donis, ei similes efficimur. Recedimus à Deo, quando amissis donis spiritualibus, pravis affectibus utpote diffidentiâ, odio, zelo vindictæ, ignorantîâ, superbiâ, impatientiâ & similibus imbuimur, quibus Deo efficimur contrarii.

2. Scien-

2. Sciendum itaque, dum quispiam peccat, primùm Deum illi subtrahere charitatem, gratiamque justificantem, dum influere & infundere cessat, dum hominem peccatorem in idoneum & indignum videt, cui dona hujusmodi infundat; nihilominus alia illi relinquit auxilia, & interna & externa, quibus juvari queat, ut resurgat & gratiam perditam recuperet, quæ auxilia si peccator negligat & peccata peccatis accumulat, difficilior fiet ejus conversio, & ægrius resurget, tum ex parte ipsius, quia pluribus peccatorum vinculis sese constringit, tum ex parte Dei, qui in pœnam tot peccatorum multa gratiarum dona, quibus ille juvari prius poterat, ei subtrahit & in tantum posset ille peccando procedere, ut penitus desereretur à Deo. Fidelibus autem, facientibus quod in se est, gratia Dei nunquam deest, atque ita patet, quod Deus intentator malorum est, nec patiatur suos tentari supra id quod possunt. Obduratio itaque in peccatis usque in finem, & conditio sine quâ non finalis derelictionis, ut insigniter Damascenus libri 2. fidei Orthodoxæ cap. 29.

3. Patres antiqui in angustiis suis ad Deum clamaverunt, & ipse liberavit eos, in Deum speraverunt & non sunt confusi: cum non haberent ultra quod agerent hoc solum restabat, ut oculos suos ad Deum dirigerent &c. Ista S. Joachimum præstitisse produnt omnes historiæ. Noverat enim scriptum esse Eccli. 32 & 33. *Qui n-*
ment

ment Dominum inveniunt iudicium iustum, & iustitias quasi lumen accendent. Qui credit Deo attendit mandatis, & qui confidit in illo non minorabitur. Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit à malis. Deus post tempestatem tranquillum facit, Tobia 3, atque similia in Psalterio, aliisque libris veteris testamenti abundant. S. Germanus in Encomio Deiparæ de SS. Conjugibus testatus: Cum nullum sterilitatis inveniretur medicamentum, ad eum confugerunt, qui solus potens ea reddit facilia, ex quibus non datur exitus.

4. Justis in tentatione, & tribulatione positis, præsidium divinum nunquam defuit, & quamquam in hominum oculis iusti aliquando derelicti esse videantur, verè derelicti non sunt. Vident cruces nostras (ait S. Bernardus) sed non consolationes nostras, vident crucem corporis exterius, sed non præsidium cordis interius. Ita revera cum S. Abrahamo se gessit Deus, nam cum ille maximos in peregrinatione labores pateretur, ilico eum Dominus solabatur, si peregrinatione defatigabatur, terram uberrimam promissionis, quam semini suo daturus erat, ostendebat. Sive rò timor aliquis invadebat eum: Ego ero protector tuus, & merces tua magna nimis, dicebat illi: Similiter cum reges barbari uxorem ejus tollebant, Deus increpabat illos, quousque liberam & intactam redderent uxorem viro. Denique ne inter exterarum regiones inopiam pateretur, divitiis

tiis accumulavit illum. Ita consuluit rebus iustorum Deus, sic illis vitæ necessaria præstat, sic protegit, & in laboribus periculisque defendit, ut in eum sperare discant, timere desinant, ut quamvis Crux plumbea foret, (suppositâ divinâ ope) arbitrentur plumeam.

5. Hinc S. David Protectoris nomen Domino tribuit dicens: *Salus autem iustorum à Domino, & protector eorum in tempore tribulationis.* Et subdit: *Iustus cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Ubi S. Augustinus: *Cum ceciderit, scilicet in aliquam tribulationem, exhonorationem, contumeliam, afflictionem, damna, & cætera, quæ abundant in vitâ istâ generi humano: in his non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Ita Augustinus. Videtur quidem sæpè iustus periclitari, & jamjam omnino perire, sed quando omnia jam desperata putantur, nec remedium superesse humanum, tunc Deus mirè succurrit. Si contingat quendam sursum vitrum aliquod projicere, ut peritè cum cadit manu colligat, alius qui vitrum cadens intuetur, & peritiam projicientis ignorat, existimabit quidem vitrum in mille frustra fractum iri, at qui projicit, cum propè terram vitrum accedere videt, brachium admovet & supponit manum, & vitrum incolume capit: Sic Deus opt. max. iustum sæpè à se projicere videtur, & qui iustum inter adversa positum intuetur, existimabit forsan in frustra frangendum esse: at Dominus

V

sup-

supponit manum suam, ut cum ceciderit non collidatur. Sic Abrahamo evenit, cum à Domino tentatus fuit, in filii sui sacrificio. Sic Davidi, cum in modum coronæ à Saule cingebatur. Sic Susannæ, cum sententiâ mortis damnata ad supplicium duceretur. Sic Danieli, cum in lacum leonum projiceretur. Sic tribus pueris cum in fornacem missi fuerunt. David in tribulationibus suis dicebat: *Deus refugium nostrum & virtus, adiutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis, propterea non timebimus dum turbabitur terra & transferentur montes in cor maris*, ac si dicat: poterit universus terrarum orbis everti, poterunt montes, qui in medio terræ sunt, mariaque turbari, ego verò non turbabor, nec timebo, quoniam tu refugium & virtus nostra es, tu supponis manum tuam ut non collidamur. *Impulsus enim, eversus sum ut caderem, & Dominus suscepit me.* Sic etiam B. Paulus qui de se ita ad Corinthios scripsit: *Nolumus vos ignorare fratres de tribulatione nostra, quæ facta est in Asiâ, quoniam supra modum gravati sumus, supra virtutem, ita ut caderet nos vivere, sed ipsi in nobis responsum mortis habuimus.* Hic primò, adverte, in quantam calamitatem devenerit Paulus, qui cum esset laborum patientissimus, & sublimi quâdam animi constantiâ & fortitudine præditus, ita ut in tribulationibus gloriaretur, in tantas angustias redactus est, ut putarit se supra modum pravatum & supra virtutem, & ut illum vivere tæduerit: Sed
nun-

nunquid oblitus Deus est Pauli, vel Paulus oblitus est in Domino sperare? nihil minus. *Deus*, inquit, *ibidem*, *de tantis periculis nos eripuit & eruit, in quem speramus quoniam & adhuc eripiet*. Ecce manum Domini suppositam, ne collideretur iustus, qui in tales calamitates inciderat: Ecce spem iusti in medio tædio vitæ, quo vehementer tentabatur. Rursum Psal. 90. David ait: *Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Dicet Domino, Susceptor meus es tu, Deus meus, sperabo in eum &c.* Id quod primò dicit: *Qui habitat in adiutorio altissimi*, periphrasis iusti est. Nam si interroges, quis iustus sit? Responderi potest: qui habitat in adiutorio altissimi; ibi habitat in arce quasi munitissimâ, à spiritus pusillanimitate & tempestate munitus. Nam Prov. 18. dicitur *turris fortissima nomen Domini*, ad eam currit iustus & exaltabitur. Quis enim poterit nocere habitanti in adiutorio altissimi: O iuste altissimum posuisti refugium tuum, non accedet ad te malum. Non enim est protectio divina instar protectionis humanæ, quamvis Principum & Regum sit: hi enim sæpissimè deficiunt, vel quia non possunt illud integrè præstare, vel quia nolunt. Dominus vult & valet iusto opem plenissimè ferre, unde meritò dicit ille: *In protectione Dei cæli commorabitur*, id est, securus & salvus erit; & ita Deo dicere poterit: *Susceptor meus es tu*. Ita & S. Joachim à Deo suo susceptus & electus est, in quo posuerat spem suam, ad

quem puras manus die noctuque levarat. Erasmus in Rithmo Jambico: *Largis uterque fletibus, votisque pertinacibus orare non cessat Deum, ut probè probrum tolleret: Cælum penetrarunt preces; adest ab astris angelus, qui prole promissa graves luctus juberet ponere. Surgunt alacres invicem, narrare visagestiunt; Porta maritus aurea se queritantem conjugem offendit: hic latus stupor dulces utrique lachrimas excussit, hinc modicos lachres junctis revisunt gressibus. Hand vana vox oraculi lusit piam senum fidem, bis luna nata quinquies anum videt puerperam &c.* Unde meridiano jubare clarius elucescit, quod concludi nequeat S. Joachimum fuisse à Deo derelictum.

QVÆSTIO XVI.

An reatus seu culpa possit factò S. Joachim imputari?

QUÆRITUR primò utrum aliquis apud se nullum peccatum sciens, ad Deum orare possit: *Dimitte nobis debita nostra*, cum enim nullum videatur habere debitum, orare non potest verè pro dimissione debiti. Ad hoc respondet S. August. lib. de naturâ & gratiâ: *Audeo dicere, si omnes sancti essent congregati, possent veraciter dicere: Dimitte nobis debita nostra: Sancti enim sine peccato non vivunt, sed sine peccato moriuntur: quia peccata eorum morte solvuntur. Quare si interrogarentur an essent sine peccato, responderent cum Joanne in canonicâ suâ: si dixerimus quoniam*

niam peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus & veritas in nobis non est. Veruntamen secundum S. Augustinum excipienda est semper B. Virg. Maria ab hac sententiâ, de quâ dum de peccatis agitur nullam vult fieri mentionem.

2. Ut in rem præsentem veniamus, ponderemus verba Abrahæ ad Saram: *Dic, obsecro te, ut soror mea sis*, super quibus verbis S. Chrysostr. hom. 32. in Gen. *Propterea in adulterium uxoris consentit justus, & quasi servit adulterio in mulieris contumeliam, ut mortem effugiat. Vidisti vinculum charitatis viri & mulieris? vidisti virum qualia mulieri suggerere sit ausus? & quale consilium acceperit mulier, & non renuit neque gravatim fert, ita ut fabula & fictio illa lateat? & paulo post: Quis non obstupescat hanc parendi facilitatem? quis hanc satis laudaverit, quod post tantam continentiam, & in tali etate, ad hoc ut justum servet, quantum in sua voluntate pendebat, etiam adulterio se exposuit, & barbarorum tulit congressum?* Hucusque Chrysostr. qui homil. 45. in Gen. edisserens verba illa, quibus Deus excusat Regem Abimelech, qui Saram Abrahæ marito suo abstulerat, loquitur in hunc modum: *Dixit autem Deus ad Abimelech, scio quod ipsi hanc fabularum commenti sint, & quod deceptus eorum dictis hoc feceris; & post pauca addit: ille etiam veritus ne occideretur à te, hanc comœdiam instruxit, & quasi cooperatus est in contumeliam Saræ. & lib. 2. de providentiâ Dei ait; Abraham in tantam tunc*

necessitatem devenit, ut etiam hypocrisi submitteretur. Quo quid dici miserabilius potest? & in epistola ad Olympiam: Nonne, inquit, propter mortis timorem, Abraham uxorem propriam maluit voluptatibus donare barbaricis, & Aegyptia tyrannidi? nam fabulam ipse componebat injuria, & rogabat uxorem, ut cum eo tam horrendam tragediam simularet. Nonne erubescit hujusmodi scena causam proferens? Erit enim, inquit, ut cum viderint te facie pulchram, occident me & te reservabunt: Dic ergo, quod soror mea sis, ut bene mihi sit propter te. Vides timorem, vides tremorem, exagitantem excelsam & philosophicam illam animam? mentitum genus, & aliam pro alia personâ ingererat. Similiter S. Hieronymus in traditionibus Hebraicis in Gen. & Origenes hom. 6. in Gen. culpant Abrahamum, quem excusant & defendunt S. August. lib. 22. c. 33. adversus Faustum & lib. 16. de civit. Dei c. 19. Benedictus Pererius disp. 5. in c. 12. Gen.

3. Noe electus Domini post diluvium bibens vinum inebriatus est, unde multa mala consecuta sunt Gen. 9. Arguitur peccati, sed eum excusant Chrysoft Theodoretus & Cyrillus.

4. Loth biduo inebriatus duplicem facit incastum, Gen. 19. unde culpatur apud S. Hieronymum. S. August. 22. contra Faustum c. 43. Orig. Strabum & Leonardum Marium, sed eum ab omni crimine vindicant B. Irinæus lib. 4. adversus hæreses cap. 51. Theodoret. q. 69. in Gen. Chry-

Chrysoft. hom. 44. in Gen. S. Thomas secunda
secundæ q. 159. art. 4. & Cajet. in Comment.

5. Jacob Patri suo Isaac dicebat: *Ego sum Esau*
filius tuus primogenitus, Gen. 27. in quo facto ve-
nialiter Jacobum peccasse censent Lira, Stepha-
nus Menochius, & Leonardus Marius, sed cum à
mendacio excusant S. Augustinus lib. 16. de civit.
Dei cap. 37. & lib. de mendacio c. 10. Theodoret.
Isidorus, Beda, Rupertus, & S. Thomas.

6. Judas ingressus ad Thamar nurum suam,
congnovit eam Gen. 38. quo facto Judam pec-
casse enunciant S. August. lib. 22. contra Faustum
c. 26. Perierius & Menochius: quod tamen Ju-
das criminibus non fuerit obnoxius scribit S.
Chrysoft. hom. 62. in Gen. etsi alibi sentiat aliter.

7. Ista ex Genesi sufficient ad demonstnan-
dum primo quam incerta res sit Sanctorum facta
dijudicare, quod ratio producta in contrarium
præ se ferre videbatur; secundo ad examinan-
dum, an in facto Joachimi sit evidentia aut appa-
rentia & comparatio cum præinsertis? Tertio
posito si instar præmissorum Joachim cespitas-
set, an propterea dici posset à Deo fuisse dereli-
ctus? Vita SS. Annæ & Joachim celebratur sim-
plex & recta apud Dominum. *Job. 8. cap. legitur:*
Deus non projiciet simplicem; super quibus ver-
bis noster Pater Titelmannus sic commentatur:
Qui ex animo & sinceritate cordis Deum colunt,
in spiritu & veritate, merito simplices nominari
debent, & hujusmodi Deus nunquam penitus à se

projiciet, neque prorsus se elongabit ab eis in finem: sed etiamsi ad tempus propter peccatorum demerita, vel probationis gratiâ, videatur illos dimittere, dum adversis illos finit ad tempus exerceri, nunquam tamen in finem eos derelinquet, aut penitus suo auxilio destituet, sed invocatus humiliter, oportunè aderit, auxilium suppetiasque ferens. At hæsitanti, cur Deus electos istos tentari permiserit, Damascenus loco ad quæstionem præcedentem relato, abundè satisfacit dicens, quod aliqua sit dispensatoria & eruditiva derelictio, ad correctionem, salutem & gloriam patientis facta, aut ad aliorum zelum & imitationem, aut ad Dei gloriam. Et S. Gregorius plenius lib. 13. & 21. moralium.

8. Insuper quod viri perfecti, boni & simplices, multa simpliciter & perfectè faciant, quæ parum perfecti, imperfecta aut sensualia existimant, proponit R. P. Hadrianus Hadrianus c. 53. tractatus de inspirationibus; atque fundans se in SS. Patrum Augustini & Bernardi doctrinis, prosequitur: *Mirum est, quid David vir perfectus secundum cor Dei, quid etiamnum optimus & simplicissimus quisque faciat, perfectissimâ & purissimâ in Deum voluntate, quæ tamen viri hujus seculi pro suâ sapientiâ, nullo judicio facta arbitrantur. Quod movere nos nihil debet, nam & aviunmodulatio est pro rostri qualitate &c.* S. Augustinus eadem tradit c. 9. lib. 4. Confession.

9. Sed fortè auctor contrariæ sententiæ oculum intendit ad alios electos, quos mortaliter lapsos

lapfos fatemur, quales sunt Protoplastus Adam in esu pomi vetiti, Patriarchæ filii, capita trium Israel, qui fratrem suum Joseph vendiderunt in Ægyptum, David peccando cum Bethsabee, & occidendo Uriam Hetæum. Exempla abundant. Spero equidem quod eorum classi S. Joachimum nostrum aggregare nemo velit: quod autem isti ex libertate sui arbitrii, & ex propria culpâ ad tantam infelicitatem prolapsi fuerint, quæst. 14. dictum est supra, adeo ut nefas sit asserere, simpliciter illos peccasse, quia Deus dereliquerat eos. Sanctis enim supra suimet sollicitam custodiam stare necessum est: siquidem mors intrat per fenestras sensuum, unde David Domino supplicavit: *Averte oculos meos ne videant vanitatem*. Eccli. 28. mandatur: *Sepi aurem tuam spinis, ne audias linguam nequam*. De meretriciis odoribus scribitur Prov. 7. *Asperse cubile meum myrrha, aloë & cinamomo*. Noc & Loth dulcedine vini capti, inebriati sunt. Demum 1. Cor. 7. enunciatur: *Bonum est hominibus mulierem non tangere*.

10. Quod autem morti huiusmodi fenestras non referarint SS. Coniuges, Patroni nostri, liquet ex sermone Angeli ad S. Brigittam habito c. 10. ubi sic loquitur: *Quemadmodum aquila, quæ in sublimi aëre volitans, perlustratis pluribus nemoribus, unam arborem tam firmiter radicatam eminus respiceret, quæ ex ventorum impulsibus evelli non posset, stipitem quoque ejus ita procerum,*

V s

quod

quod per eum nemo valeret ascendere, quæ etiam in tali loco staret, quod impossibile videretur, quod aliquid supra eam à parte superiori caderet, & hanc arborem aquila diligentius intuens, nidum in quo quiescere vellet, in eâ construeret: Ita Deus qui huic aquila comparatur, cuius conspectui omnia futura sicut & presentia clara sunt & aperta, dum universa iusta & honesta conjugia, quæ à primi hominis creatione usque ad diem novissimum fieri debent, prospiceret, nullum simile Joachim & Anna conjugio, in omni divinâ charitate & honestate prævidit, & idcirco ei placuit, de hoc S. conjugio, honestissime sue matris corpus, quod per nidum intelligitur, generari, in quo ipse cum omni consolatione dignaretur quiescere. Hæc ibi. Stante itaque tam honorabili, sancto & electo conjugio, satis credibile est, quod Gubernator universi, suam bonitatem non continuerit, quin omnem gratiam suam abundare fecerit in ipsis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundarent in omne opus bonum, ut si ambularent in medio umbræ mortis non timerent mala.

II. D. Bonaventura in meditationibus vitæ Christi c. 3. refert, Beatam Virginem S. Elizabethæ viduæ, vitæ suæ rationem & ordinem explicuisse, inter alia verò studia, quæ ibidem commemorat, hoc etiam addidisse, se excepta eâ gratiæ plenitudine, quam in utero matris posita recepit, omnem aliam gratiam & dona cœlestia, non sine magno labore, continuâ oratione, ardenti desi-

desiderio, & profundâ devotione, multisque lacrimis percepisse, additque: *Illud igitur persuasum tibi esse debet, nullam virtutem, nullaque cœlestia dona, (nisi præter communem ordinem Deus aliquid moliatur) sine orationis studio & corporis afflictione comparari.* Hactenus verba virginis, ex quibus intelligere licet, quantopere gratiæ cooperandum sit. Lud. Granat. serm. 2. in Nat. B. V. Osorius in festo Præsentat.

12. S. Joachim gratiæ Dei sollicitè cooperatus fuit, nulla lege cogente, sed solo pietatis intuitu, cum conjugè spontaneam peregrinationem ad encænia Hierosolymitana instituit, in templo ab Isachar Sacerdote, inopino opprobrio obrutus, mansuetè, longanimiter, & patienter ad desertaloca declinavit. Causam primam vetus Breviarium Romanum Parisiis anno 1526. olim impressum, & Diurnale Carmelitarum anno 1503. ibidem editum, sufficienter declarant, in antiphonis ad Laudes: *Hic ad Casam inde suam repedari noluit, nam dedecus magis & plus augmentari timuit: Ex hoc autem opprobrio Joachim pulsus nimio, una cum suis bestiis secessit in pascuis.* Alia causa assignatur Lect. 6. quod accepto sterilitatis opprobrio, dolens & tristis, clam ad interiora deserti decesserit, Dominum pro habendâ sobole precaturus. Tertio S. Germanus contestatur, S. Joachimum quadragesimale servasse jejunium. Itaque juxta præmissa Joachim majorem desolationem & tentationem decli-

clinavit, atque ut expeditius ad Deum oraret, consolatorium uxoris contubernium, lautio-remque convictum ac ampliores distractiones à se elongavit, instinctu Spiritus boni sanctissimo.

12. Ad propositum resumo Hadrianum Hadrianum, qui caput 15. de divinis inspirationibus sic orditur: *Postremum meminisse debemus, esse qui vitâ & moribus videantur imperfecti, qui tamen quod germinent de radice charitatis, qua in intrinseco est, apud Deum peritissimum iudicem, absolute perfectionis rationem habent. Quod idem iudicium prudentissimorum hominum est, qui pro equitate animi sui, optime omnia didicerunt interpretari. Scilicet imperfectus erat Paulus, quod infirmus infirmis, quod & omnibus omnia fieret, ut omnes lucrifaceret Christo. 1. Cor. 9 c.*

13. Nec obstat uxorem creatam in viri adiutorium. Respondemus enim ex S. Augusti l. 9. c. 3. super Genes. ad literam, adiutorium illud fuisse causam pariendi. Illa autem ex evidentia sterilitatis in SS. Conjugibus cessabat. Insuper huiusmodi mulieri Deus etiam dixit: *Sub potestate viri eris*, Gen. 3. multa etiam viris licita fuisse probat Abulens, in Matth. tom. 5. pag. 148. ulterius respondetur, quod lex vetus, sub Judæorum Sinagogâ, sterilis & aspera fuerit: de quâ Hebr. 7. c. Apostolus testatur, quod ad perfectionem non adduxerit, sicut Christus tempore gratiæ, repudiî libellum etiam reprobavit Marci 10. c. atque
statum

statum conjugalem per se & Apostolum Paulum perfectius ordinavit:

14. Neque alicui longior absentia displicere debuit. Pro morâ quinque mensium militant causæ præallegatæ: neque Deus semper exaudit statim, sicut Lanuza Episcopus hom. 9. deduxit, & Leuchtius viridarii regii lib. 3. c. 32. ad Joachim applicavit. Et quis novit consilium Altissimi? qui plures alios utique instinctus fidelissimo servo suo Joachim indidit. Accedit quod S. Patriarcha Joseph Ægypti dominator effectus, de septem annis fertilitatis, & de suâ incolumitate & prosperitate, cum facili negotio potuisset, nunquam informârit patrem suum amantissimum, nisi post longum tempus.

15. Nec est quod quis urgeat, absque scitu & consensu Annæ conjugis suæ, tanti temporis absentiam fuisse illicitam, hoc enim quod dicitur, minimè probatur. Nam è contrâ pensandum, quod S. Anna fuerit sanctitatis speculum, hostis omnis peccati, ejusque vita cœlum serenum: unde & Matthias Faber in Auctario, themate primo festi S. Annæ, ejus magnanimitatem comparat gemmæ Jaspidi, quod Deum strenuè coluerit & laudarit, *sicut acanthis in spinis cantans, & regulus in hyemali frigore*; Item concurrunt testimonia auctorum, quod S. Anna habuerit gratiam, ut esset altissimæ sanctitatis præ aliis hominibus, & quod ab angelis custodita & frequentata fuerit; quis ergo tam modici intellectus homo,

S. An-

S. Annam mulierem fortem, voluntati divinæ in casu hujusmodi extraordinario, resignatam & unitam fuisse negabit? cum de eâ canat Ecclesia: *Non timebit domui suæ à frigoribus nivis, fortitudo & decor indumentum ejus: Lucerna ejus non exstinguetur in nocte, Prov. 31.* Et quisnam asserere audebit, quod virago tantâ gratiâ pollens, & angelico fulcita præsidio, prætulit sensualem suam consolationem ex præsentia mariti, malueritque illum sibi præ filiis hominum dilectissimum, præsertim publicitus erubescere, confundi & humanitus affligi, quam se tantillâ sensuali consolatiumculâ privari? cum utrisque non desissent consolationes cælitus missæ, quò & superabundarent gaudio in omni tribulatione suâ. Non igitur Deus permisit sanctissimos istos conjuges tentari supra id quod potuerunt, ut sustinere nequiverint: licet enim publicitus ab Altari rejecti revera confusi fuerint, non tamen ideo à Deo in quo spem posuerant omni consolatione fraudati. Huc facit quod R. P. Petrus Ribadineira lib. 2. de tribulationibus cap. 3. secreta Dei judicium ab hominibus non fore dijudicanda solidè demonstrat. Et Hadrianus Hadrianus c. 6. lib. de divinis inspirationibus docet, *multa pro temporum ratione, aut bona aut mala censerent, quorum observatio difficillima sit hominibus.*

16. De quinque mensium absentia superius descriptâ, testimonium tulerunt varii part. 1. §. 12. relati. Verum posito quod unica hæc circum-

cum-

cumstantia quam S. Hieronymus tractatu de *Ortu B. Virg.* non habet, velut superflua rejiceretur, attamen substantia Historiæ, uti apud eundem sanctum & alios reperitur, salva subsisteret, quæ ut dictum est nil de tali circumstantiâ canit, etiam hoc tanquam probabile solummodo asseritur.

17. Alia Ratio, quæ pro contrariâ sententiâ profertur est, quod similia exempla de repulsâ sterilium in sacrâ Scripturâ non reperiantur, cui responderi potest, quod multa in facto præcesserint, quæ literis firmata non sunt. Deinde quod dicta & facta superius complura adducta sint, quæ exempla præambula non habent. Denique an non magistrante experienciâ exploratum habemus, in utrâque Oeconomîâ, tam Ecclesiasticâ quam Seculari, Rectores hominum crebrius raros ausus, novaque facta designare, quorum præambula exempla præcesserunt nulla. S. Gregorius Magnus lib. 9. epist. c. 9. Serenum Episcopum Massiliensem corripit in terminis: *Dic, Frater, à quo factum Sacerdote aliquando auditum est, quod fecisti?* Ita & Isachar Sacrificus in suo facto exorbitavit. S. Gregorius rursus lib. 26. moral. cap. 2. ait: *Recti viri cum injustè ab hominibus imperantur, ad supremum iudicium recurrunt, ut videlicet in eo videant, quâ cum sapientiâ, ordine & providentiâ incus disponat, quod extra confusum esse videtur.*

QVÆ-

QVÆSTIO XVII.

An conveniens fuerit S. Joachim talia pati?

Rudolphus Agricola quondam Heidelber-
gensis studii lumen, in votivo de S. Annâ
poëmate, repulsam S. Joachim sic adumbrat:

*Procinus horrendum verbis & voce Sacerdos
Intonat, & sacris iussit abire locis.*

*Ocius heus, inquit, procul hinc, procul ito prophano,
Nec te grata Deo munera ferre putes.*

*Nec mihi credideris, Deus est, cui credere debes,
Ille tuas clausâ rejiciet aure preces.*

*Ni faceret: pridem conjux tua fata fidelem
Augeres populum, munera lata Dei.*

*Nunc neque prole juvas gentem, benedictio nec te
Sacra Dei tangit, tu quoque cede sacris.*

Cede sacris, aras donis nec pollue spretis:

Quæ neque grata Deo, nec mihi grata dabis.

2. In Rithmo ad S. Annam Jambico, Erasmus
quidem contractiùs, sed multò acerbius istam
repulsam refert, & mox subjungit: *Quò se loco-
rum verterent vultus pudentum conjugum, repulsa
quos tam fœda, tam insignis examinaverat, Joa-
chim pudorem non ferens, gregum ad suorum pa-
scua se proripit. Propheta lamentatur: Justus
quidem tu es Domine, si disputem tecum: verum-
tamen justa loquar ad te; Quare via impiorum
prosperatur? benè est omnibus qui pravaricantur,
& inique agunt? Jerem. 12. cap. Sed tu Domine
qui omnia suaviter disponis, ut sapiens ait, an*
servus

Sævus es, qui tuorum electorum pœnâ delecte-
 ris? an verò circa cardines cœli perambulas, ut
 nostra non consideres? Absit, meminisse oportet,
 quod Angelus ad Tobiam dixit: *Quia accep-
 tus eras Deo, necesse erat ut tentatio te probaree.*
 Insuper cum oportuerit Christum pati, & ita in
 gloriam suam intrare, cum esset filius Dei natu-
 ralis, an recta ratio patietur, ut filius adoptivus
 expeditum iter & viam planam requirat, quò in
 gloriam ingrediatur alienam? quò fit, ut crux il-
 la quam Dominus in humeros electorum impo-
 nit, maximum sempiternæ prædestinationis ar-
 gumentum sit. Nam quemadmodum Christus
 Dominus in crucem raptus, eidem innixus gra-
 dum sibi fecit in cœlum, sic qui illius vestigiis in-
 sistunt, ad supernas illas sedes penetrabunt, in
 quibus inter primores collocati sempiterno ævo
 perfruentur. Hæc illa est vis quam patitur re-
 gnum cœlorum, quod violenti duntaxat rapiunt;
 liberavit Deus filios Israel à durissimâ Pharaonis
 servitute, eosque in jucundissimam libertatem
 asseruit, sed non illos per fontes, per prata, per
 frondosa nemora, sed per desertam solitudinem
 & montes incultos, in tefram promissionis du-
 xit. Potuisset illos Deus breviori viâ cibus refertâ
 ducere, noluit tamen, sed desertâ, longiori, diffi-
 ciliori, in quâ jam siti laborabant, jam fame cru-
 ciabantur, nunc illis erat cum his hostibus dimi-
 candum, nunc cum illis, & quadraginta annorum
 spatio, quibus hic se laboribus dederunt, perve-
 nerunt

nerunt ad terram sibi promissam: hæc via est, quæ
 justos Deus ducit ad cælum. Poterat illos duce-
 re viâ amœnâ & planâ, noluit tamen quia valde
 periculosa est. Sed ecquis justorum fuit, qui per-
 secutionem non habuit in mundo? Abel a fratre
 Cain mactatur, Noe subfannatur & deluditur,
 dum diluvium prædicaret futurum, Abraham in
 igne tribulationum ponitur, Isaac ab Abimelech
 expellitur, Loth omnia perdit, Jacob ab Esau &
 Laban fatigatur, Joseph à fratribus venditur,
 Moyfes ad mortem quæritur, Jephthe, Sampson,
 & Gedeon, persecutionibus agitantur, David in-
 fidiis undique circumvenitur, Tobias excæca-
 tur, Job flagellatur, Ezechias à Sennacherib con-
 cluditur, Josias occiditur, Isaias secatur, Jeremias
 obruitur, Daniel in lacum mittitur, & sic de aliis
 Prophetis & justis, qui variis sunt lacesiti inju-
 riis, & patientiæ virtute probati. Hanc viam in-
 gressi Apostoli, Martyres, Confessores, virgines,
 craticulas, ungues, sagittas lapides, cruces, atro-
 cissima tormenta superarunt; jejunia, speluncas,
 vigilias, dæmonis incursiones, ac rerum omnium
 indigentiam perpeffi sunt, secti sunt, tentati sunt,
 in occisione gladii mortui sunt, circuierunt in
 melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati,
 afflicti, quibus dignus non erat mundus in soli-
 tudinibus errantes, in montibus & speluncis, &
 in cavernis terræ. Joseph patiens post multa pe-
 ricula exaltatur. Latè S. Chrysoftomus hom. 63.
 in c. 41. Gen. Hanc itaque tribulationem & pa-
 tien-

timentia viam omnes Dei Sancti tenuere, qui nunc
 æternâ fælicitate perfruuntur. Vidit Joannes
 multitudinem innumerabilem, quam dinume-
 rare nemo poterat, & omnes amicti erant stolis
 albis, & palmæ in manibus eorum. Palma enim
 insigne victoriæ est, ut ubi victoria ibi prælium,
 & ubi prælium & certamen, ibi vulnera & vitæ
 discrimina. Unde Senior ille qui Joannem allo-
 quebatur subdit: *Hi sunt qui venerunt de tribu-
 latione magnâ, & laverunt stolas suas, & dealbave-
 runt eas in sanguine agni, ideo stant ante thronum
 Dei.* Animadvertite quam causam reddat tantæ
 fælicitatis. Quia venerunt, inquit, de tribulatio-
 ne magnâ, ideo sunt ante thronum Dei, non unus
 aut alter, sed omnes hi: quasi dicat multitudo hæc
 innumerabilis justorum, magnas tribulationes
 superavit, ut secunda perveniret ad palmam glo-
 riæ; ne unus quidem ex eis sine crucis beneficio
 evolavit in cælum. Atque tales sunt amici Dei
 charissimi. Ita Christus dum Apostolos ad parvi-
 faciendas hominum persecutiones exhortari
 vellet, primum amicorum nomine eos insignivit.
*Dico vobis amicis meis, ne timeamini ab his qui
 occidunt corpus, & post hæc non habent amplius
 quid faciant.* Luc. 12. & paulo antè quàm è vitâ
 migraret, eos confortes regni declaravit inqui-
 ens: *Vos estis qui permansistis mecum in tentatio-
 nibus meis: & ego dispono vobis regnum sicut dispo-
 suit mihi pater.*

3. In præsentem quidem peregrinatione, sicut

X 2

aurum

aurum probatur in fornace, an sit verum & purum, an mixtum & adulterinum, ita teste Sapiente probatur homo in camino tribulationis, utrum patiens sit, an animo fortis, an fractus, an infirmus. Quod si fortis sit, inde fortior & vegetior exhibit: Neque enim sufficit esse fortem, oportet hanc virtutem sicut & cæteras paulatim perducere ad suam plenitudinem, quod fit per tribulationem quia teste S. Paulo: *Virtus in infirmitate perficitur, cum infirmior tum potens sum*: quò enim exterior homo plura patiebatur & duriora, eò interior fortior evaderebat, quia tribulatio patientiam operatur: sin autem impatiens quis fuerit & infirmus, etiam infirmitas hæc, quæ prius latebat ut nec esse putaretur, se prodet, non quod adversitas hominem infirmum efficiat, sed quod qualis erat manifestum reddat.

4. P. Lyræus Trisagii libri primi sono 34 ad repulsam Joachimi exclamat: *Magna sanè atque recondita consilia Dei! affligi sinit innocentem, immeritum despici, virum sanctum confundi, cui jure maximo contraria omnia deberi videbantur. Sic solet mundissima aquila, quæ per crystallinos radios ex aureis Siphonibus in aërem mox exsultura est, in terræ viscera deprimi descendereque profundius, sed ut tantò altius ascendat, ipsis invidiam nubibus mox factura. Erat Ioachim post paululum, virginis*
maxima

maximæ excellentissimæque futurus pater, quæ
 Messiam ipsum felicissimo partu editura erat in
 mundum; inter omnes Patriarchas unus ipse
 beatissimus, inter omnes Patres quotquot orbis
 terrarum extulerat, suâ prole nobilissimus, ne-
 pote maximus futurus: & ecce quam profun-
 dum tantæ moli, tantæque gloriæ jacitur fun-
 damentum! Liceat hîc mihi bonâ candidi Le-
 ctoris veniâ, cum avo communicare quod de
 nepote Apostolus ejus ad Ephes. 4. proclamavit:
 Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & de-
 scendit. Id nobis videndum jam restat. Pudore
 itaque magno ex priore calumniâ suffusus Ioa-
 chim, sacrisque locis exulare jussus, quia sterilis
 vir esset, quid egisse, quo divertisse putandus?
 nec enim domum suam repetere ausus, ubi à
 contribulibus non parvum sibi molestiæ tor-
 mentum paratum esse sciebat: ad prædium igi-
 tur campestre tacitus declinavit, ubi inter pa-
 stores suos, atque agricolas liber, animi sui mœ-
 stitudinem concoquere, ac divinæ voluntatis
 pensitatione lenire posset: cui non absimilia, in-
 ter domesticos parietes Anna conjux, tristi nun-
 cio accepto, meditabatur. Videbat autem hæc
 omnia, observabatque è cælis Deus, cui thea-
 trum amplissimum, utriusque virtus splendide
 faciebat, in quo non minus plausum, quam fa-

vorem quendum maximum erat relatura: P. Lyræus latius, Complacuit itaque Deo, quod conjuges nobiles non restiterint Pontifici in faciem, sed armaverint se scuto patientiæ, unde eorum perfectionem patere evidenter asserit Pepinus, statuitque istum sextum & ultimum modum, fecunditatis à Deo impetrata.

5. S. Joachim post illatam ab Isaciare injuriam, quam patienter se gesserit patet ex hæcenus deductis: quocirca S. Antoninus 4. part. summæ tit. 15. c. 6. §. 1. S. Vincentius Bellouacensis, & Petrus Jeremiæ serm. de Nat. B. Virg. asserunt: *Plus placuit Deo patientia Joachim, quam Eleemosina, orationes, jejunia, & promissiones, quia propter patientiam obrinnit prolem.* Erasmus in rithmo Jambico: *Hic hic maritum annis gravem, effeta anus facit patrem. Est virgo fata filia, Nepos Dei verbum ac Deus. Ergo, Anna Mater optima, cumulatus multo tuas lachrimas Deus consolatus est, quam vel Rebecca, vel Sara, vel Ilius, qua te refert & rebus & vocabulo & c.* Juxta præmissa S. Anna non potuit plus exaltari, quam quod esset Avia Christi, uti rectè annotavit Didacus de la Vega princ. serm. de S. Anna.

6. Deiparam virginem ne pertranseamus: Vita ejus tota permixta fuit amarore & doloribus, sub cruce filio compassa majus martyrium sustinuit, quam omnes mundi martyres. Anselm. de excellentiâ B. Virg. c. 5. Albertus super *Missus est*. Antoninus 4. p. tit. 1. c. 15. & 24. Bernardin.

tom.

tom. 3. ferm. 2. c. 4. Brigitta Revel. lib. 10. c. 25. Manhard. in Nat. B. Virg. ferm. 2. Post ascensionem Dominicam virgo Mater diu in hoc exilio relicta fuit: est enim probabilis sententia, quod anno ætatis 72. primùm obierit, sicut post Andream Cretensem & Epiphanium tenent Suarez tom. in 3. part. D. Thomæ q. 37. a. 4. sect. 2. Henricus Sedulius in comment. ad vitam S. Claræ c. 2. Grotser defens Bellar. tom. 1. lib. 4. c. 7. & Christophorus Castrius. Jam nunc si quæritur, cur piissimus Jesus dulcissimam Matrem diutius in hoc mundo exilem, tantis sinebat angustiis agitari, cum præceptum fuerit omnibus; *honora Patrem & matrem*, qui scilicet honor maximè reluctet in actuali necessitatis subventionè, & miseriarum sublevatione, quantum fieri potest; Ad quod non abs re respondendum, quod dulcissimus filius Matrem adeò dilectam, prout decuit, præ cæteris creaturis universis tam angelicis quam humanis, ineffabiliter exaltari voluit, ut sicut ipse resurrecturus & ascensurus in cœlum sederet ad dexteram Patris, id est, in potioribus bonis paternæ gloriæ, sic Matrem collocaret ad dextram suam, id est, potioribus bonis gloriæ filialis sublimaret; quod tamen donum, tam ineffabile quàm singulare, præstare noluit meritis alienis, ut eandem viam quam præcessit ipse, sequeretur & ipsa.

7. Itaque B. Virgo, ait Samuel Loyaerts conc. in nat. B. Virg. *cum plena esset gratiâ ex meritis bonorum*

X 4

norm

norum operum, (neque enim in eâ Dei gratia fuit
 vacua) dura & adversa tolerare debuit, quò etiam
 meritis passionum & tribulationum glorificari pos-
 set, quò sic plenam & perfectam iustitia coronam
 percipere mereretur: plus enim Job meruit ex suis
 doloribus fortiter toleratis, quam ex suis Eleemosy-
 nis largiter erogatis. (& post pauca) Cum autem
 Dominus Matrem suam ad eximum & superemi-
 nentissimum gradum evehere decrevisset, atque
 praclarum & insigne fortitudinis donum ei dedis-
 set, noluit ut hoc talentum absconditum & donum
 otiosum maneret, sed ut aueretur, & ad iustum sui
 complementum perveniret; ut enim vis natura non
 cessat, sed assidue operatur, donec ipsam ad iustam
 sui mensuram perduxerit, ut videre licet in arbori-
 bus, pecoribus, & humanis corporibus, qua con-
 tinuò crescunt, donec ad sui complementum perve-
 nerint, Ita in operibus gratiae fieri credimus, qua au-
 crescere debent, & meliora ac perfectiora fieri, do-
 nec praescriptum sibi finem attigerint, & ad iustum
 gradum tam gratiae quam gloria pervenerint.

8. Quoad personam S. Joachim, cum iam
 tempus miserendi advenisset, ut secundum di-
 spensationem Altissimi, ex eo Deipara procrea-
 retur, & consequenter ipse ad eminentem in
 aeternitate gradum sublimandus foret, ex pari-
 tate rationis exerceri debuit. Ad hoc concurrit
 etymon sive mysterium nominis: Joachim nam-
 que idem est, quod Domini mei firmitas, prepara-
 ratio, seu exaltatio. Anna vero gratiam significat,

seu

sen donum gratiæ. Inter omnia autem dona Dei, maximum in præsentem est gratia, & exaltatio gloriæ in patriâ: unde S. Thomas 1. 2. q. 113 a. 9. ad secundum: *Bonum gratiæ unius, majus est, quam bonum nature totius universi, quia, bonum gratiæ terminatur ad bonum eternum divina participationis.*

9. Ecquis igitur ausit concludere, melius & honestius fore loqui, divinæ misericordiæ convenientius esse, hujusmodi tentationes, & opinionem hominum desolationes, Joachimo nunquam obvenisse, adeò ut vetusta historia ista censenda veniat incredibilis, indecens & absurda? Abbas Trithemius c. 7. de laudibus S. Annæ nervosè infert: *Si ea que nescimus quo animo fiant, in partem meliorem interpretari precipimur, quanto magis occulta Dei opera, quorum rationes ignoramus ad pietatem debemus accipere.* Doctor Germanus ait: *Tuum non est judicare, an Isachar Sacerdos Joachimum cum mulieribus ab arâ repulerit, an sanctus vir ille ob hujusmodi irrogatam infamiam ab hominibus sequestratus, in campestribus obambularit, donec ipse & uxor Anna ab angelo consolati sint, & tu sive ista credas, sive perneges flocci facimus, cum nobis sufficiat. ista Dea & sacra Scriptura non repugnare, nec incredibilia esse, aut devia ab honore Christi. Ista ab antiquis ante millos annos conscripta sunt, & utique traditio per manus majorum ad ipsos derivata fuit.* Ita Wicelius in suâ Ecclesiasticâ Demegoriâ in natali B. Virginis.

QVÆSTIO XVIII.

De locoprecum SS. Conjugum, & applausu avium in horto.

PReces SS. Conjugum Joachim & Annæ, in campestribus, in monte, in horto, domique factas, nemo mirari debet, cum Christus Dei filius in deserto, in horto Oliveti, imo in fatido Calvariæ monte orare non destiterit. Auctor Exegetici c. 4. pag. 20. adduxerat testimonium S. Cypriani descriptum à Carthagenalib. 2. de arcanis Deiparæ hom. 2. n. 4. Præterea demonstravit S. Germanum Episcopum Constantinopolitanum, qui recitat verba S. Annæ sequentia: *Hæc ego cum essem sub dio, in meo horto, oculos in cælum tollens, pectus autem meum manibus verberans, clamavi ad Deum qui est in cælis; meus autem Coniunx cum esset solus in monte, & ieiunaret 40. dies, eadem à Deo supplex orabat.* Ista in virginis encomio, auctore S. Germano, minimè latent. Siquidem rescripta sunt apud Aloysium Lipomanum edit. 1571. Lovan. pag. 224. apud Surium 21. Novemb. apud Canisium c. 4. lib. 1. Marialis & in bibliothecâ magnâ Patrum tomo 8. pag. 66. S. Eustachius scribit: *Circa horam diei nonam, sub arbore in viridario suo, Anna sedens his verbis Deum obsecravit: Deus Patrum nostrorum benedic mihi & exaudi orationem meam, sicut benedixisti Sara, & dedisti illi filium Isaac: hæc cum diceret, in propinquam arborem aspectum referendo;*

conspexit passerem pullis suis incubantem: hinc amare repetito suspirio, ejulansque dixit: Heu Domine quomodo nec his fecundis volucris assimulor? P. Lyræus plenius libri 1. son. 34.

2. Concurrunt Joannes Bonifacius historiae virginalis c. 3. pag. 16. Pinellus in historia nat. B. Virg. Matthias Faber in Auctario in festo S. Annæ them. 1. n. 3. Atque deficientibus omnibus istis, sufficeret oraculum S. Rom. Ecclesiæ quæ lect. 4. de S. Joachimo ex S. Epiphanio concinit: *Joachim precabatur in monte, & Anna in horto suo.* Eadem habet Officium Patrum S. Crucis, Canisius Marialis lib. 1. c. 4. Galatin. lib. 7. c. 8 & Baronius n. 45. sui Apparatus Annalium. Legantur etiam Biverus pag. 585. & 597. Bzovius in panegyrico 3. de nat. B. Virg. Mariæ. Antiochus hom. 107.

3. Alterum Auctor Exegetici non urfit, sed pro reverentiâ Sanctorum & doctorum virorum, incidenter retulit, videlicet de applausu avium in horto S. Annæ inspecto, de quo paulò ante præcessit contestatio S. Eustathii. Insuper id ipsum non tantum S. Vincentius, sed & Petrus Hieremiæ in festo S. Annæ pro concione ad populum declamarunt, atque Abbas Tritheimius consignavit speciali tractatu de miraculis S. Annæ. Wilderad Vinetic. 4. Batavus anonymus fol. 19. Xirixiensis pag. 14. Dorlandus lib. 1. c. 6. Neque res majoribus nostris indigna apparuit, quæ in divinis recitaretur, quod clare elucescit

cescit ex lect. 5. Officii de S. Annâ votivi, Canonicarum Regularium ad S. Thomam Cantuariensem propè Antonacum, atque ex lect. 4. Metropolitanî Breviarii Moguntini annis 1507. 1509. & 1517. procusi, propter quas auctoritates tanquam probabile hoc allegare nihil obstabat.

QVÆSTIO XIX.

De Apparitionibus Angeli.

QUod non alteri conjugum, sed utrique Angelus Domini apparuerit; Joachimo, non ad Caulas Ovium, sed in deserto, Annæ vero Nazarethi, perhibuerunt testimonium quotquot præactam scripserunt & rescripserunt historiam. S. Hieronymus *de Ortu Mariæ*. S. Germanus in Encomio Deiparæ, introducit magnam Matrem Annam loquentem, quod instantiâ precum, & quadragesimali jejunio, flexus misericors Dominus, conjugibus, disparatis locis existentibus, miserit angelum prænunciantem filiæ conceptionem. Damascenus anno 1577. à Billio Parisiis editus orat. 1. de Nat. B. Virg. *Hinc Dei genitrix*, ait, *ex pollicitatione prodit: Angelus quippe conceptionem parentibus nunciat.* Epiphanius serm. de laudibus Mariæ, & Panthaleon Diaconus orat. de S. Michaelè apud Metaphrasten, Angelum Gabrielem nominant. Et Fulbertus Episcopus 2. serm. de nat. B. Virg. Missus est Angelus Domini prius ad Joachim, demum ad Annam. Plures Patres adducit Lyræus lib. 1. sermo 34.

2. Eadem

2. Eadem confirmant referuntque, Breviarium Romanum annis 1520. & 1533. Parisiis impressum. Breviarium Ord. Prædicatorum anno 1516. editum in festo S. Annæ. Bertrand. Cardinalis serm. 2. de nat Domini. Jacobus de Voragine in nat. B. Virg. Nitzsche witz Psalterii pag. 3. Themefwar serm. 5. de SS. Galatin. lib. 7. c. 8. Adrichomius pag. 259. theatri terræ sanctæ. Canisius Marialis lib. 1. c. 4. Beyerlinck in Theatro, verbo: Angelus. Wilderad vineti S. Annæ c. 4. Offic. B. Virg. edit. 1548. Paris. fol. 52. Leuchtius Viridarii Regii l. 3. c. 32. Abrahamus Bzovius Pannegyrice 3. in Nat. Virg. & alii §. 13. p. 1. citati.

3. Tempus apparitionis si perquiritur, extra dubium manet, Annam concepisse non diu post Angelicam apparitionem, quod pars adversa concedit & quæst. 21. plenius demonstrabitur.

QVÆSTIO XX.

*An SS. Conjuges ad locum confusionis
tam citò redierint?*

Mense Hebræorum Casleu, occurrens festum Encœniorum ferè incidit in nostrum mensem Decembris, ut docet Hieronymus Natalis & alii. Frequentationem ejusdem festi nulli obligatoriam fuisse probavimus 13. quæstione supra Cum itaque sævâ hyeme, motu spontaneo, solo pietatis intuitu, SS. Conjuges Nazaretho Hierosolymam perrexerint, adhuc incertum manet, primo an Joachim ipso festo, an verò in-

fra

fra octavam munera inferre attentarit? Secundo an exteri homines & de longinquo advenæ, omnibus incolis urbis noti fuerint? Tertio an verisimile videatur, quod seclusis Hebræis, difficili tempore de longinquo etiam advenis & convenis, soli Hierosolymitani cives. Ita circumstiparint Altare, ut omnia quæ inibi gererentur exactissimè notare potuerint? istis à quâ lance pensatis, facilis ad dubium motum confurget responsio.

2. Deinde cum tractatus Germanicus, qui talem scrupulum movet, concedat Angelicam apparitionem, stante hac hypothese, mirandum venit, quod divinum oraculum non æstimet sufficiens, ut ei parendum fuerit. Insuper cum non sint cogitationes Dei, ut cogitationes hominum, nec sint viæ Dei, ut viæ hominum, an non censendum, quod SS. Conjuges simul ex visitatione angelicâ fuerint induti virtute ex alto, ut pro nihilo duxerint ab humano iudicari die? An non dicente Philosopho, *quod parum distat nihil distare videtur?* in quem scopum consonat insigniter Epiphanius hæresi 79. ubi verba Angeli ad Joachimum: *Uxor tua concepit*, insigniter adducit ad verum sensum: concipiet, secundum modum loquendi Prophetarum, quibus præsentia videntur, quæ brevi implenda sunt.

QVÆ-

QVÆSTIO XXI.

De loco Conceptionis Deiparæ.

ADrichomius loco Jerusalem 37. sic canit.
ADOMUS S. ANNÆ avia Christi, in quâ una
 cum conjugè suo, cum festâ Hierosolymis ageret, ho-
 spitabatur: ubi & uterque obiit. HIC B. VIRGO
 CONCEPTA EST, atque ibidem passionis tem-
 pore mansit, ubi postea pulchrum in honorem S. An-
 næ adificatum est templum; quo nunc Turcæ tur-
 piter abutuntur. De domo S. Annæ & loco Con-
 ceptionis consona perhibuerunt testimonia,
 Breidenbachius, Wilderad, Gonzaga, Salmeron,
 Carthagenæ & Waddingus, tam in Exegetico,
 quam ejusdem translatione Germanicâ speci-
 ficè relati; quorum dictis adstipulantur Jacobus
 de Vitriaco Orientalis historiæ c. 58. hocæpori-
 con Philippi de Merode Baronis in Frenzt anno
 1609. Francofurti proCUSUM & alia antiquiora,
 Joannes de Mandeville descriptionis regionum
 c. 16. Cuperus & Leuchtius vitæ S. Annæ c. 13.

2. In confirmationem loci conceptionis Au-
 ctor Exegetici produxit verba S. P. Damasceni
 sequentia: *Fausta tibi sint omnia, ô Probatice, Re-
 gina domicilium, fausta tibi sint omnia, ô Probatice,
 SEMINUM JOACHIMI* *vetus fanum, nunc
 autem ovilis ratione præditi, Ecclesia cælum imi-
 tans, atque olim semel quotannis Angelum Dei ex-
 cipiens, aquam turbantem & unum valetudini re-
 stituentem.* Quæ verba S. Damasceni, verbis Adri-
 cho-

cho-

chomii immediatè antè descriptis insigniter consentiunt: qui etiam in theatro atque Schemate urbis Jerusalem, domum S. Annæ piscinæ probaticæ, quotannis Hierosolymis ab angelo Joan. 5. c. commoveri solitæ, facit contiguam. Porro et evidentiâ oculari illustres viri & clari admodum, in suis hoc æporicis id ipsum contestati sunt, atque sic intellexit Carthagena l. 2. de arcanis Mariæ hom. 2. n. 9. & alii alibi.

3. Adrichomius loco 73. tribus Zabulon ait: *Nazareth Galilæe civitas, edificata supra montem, quem corona instar ambit, trium dierum itinere distat ab Jerusalem.* Ita & Abulens. c. 2. in Matth. q. 87. Sed SS. viri Hieronymus & Beda, Deiparæ incunabilis viciniore, asserunt, Nazareth viculum fuisse in aditu Galilææ; cujus rei consideratio rationabiliter perurget, ne quis humili habitaculo Joachim & Annæ, in montano viculo jungat caulas, vivaria, & stagna aquarum, instar piscinæ Hierosolymarum probaticæ. Hierosolymis itaque SS. Conjuges exportâ aureâ progressi, oblatâ Domino in templo ferventissimâ gratiarum actione de consolatione eis factâ, ut ait S. Antoninus summæ 4. parte cap. 6. §. 1. in fine, *ex promissione talis filia, cum timore Domini usi sunt matrimonio.* Rationabiliter autem ex templo prius declinaverunt, in vicinam domum suam propè piscinam probaticam, et sancta Anna post triduanum iter, requiem aliquam daret fesso corporis alabastro, atque post

ac-

acceptum divinum oraculum, jam tum sterilitatis obstaculo remoto, in præsentis fœcunditatis aptitudine constituta, viâ ordinariâ fœcundaretur citius, sicut in calce præcedentis quæstionis, ex Epiphanio ad huiusmodi intellectum, adduximus verba Angeli dicentis: *Uxor tua concepit, hoc est, in proximo sine morâ concipiet.*

4. P. Lucas Pinellus in specialibus de Deiparâ meditationibus ex SS. Patribus depromptis, edit. 1601. Colonienſis pag. 33. Historiam nativitatis ejusdem sic auspiciatur: *Epiphanius & Germanus Patriarcha scribunt, cum Parentes B. Maria secessissent: Ioachim in montem desertum, ubi 40. diebus jejunavit: & Anna in hortum suum, oraturâ Deum, ut illos ab ignominia sterilitatis vindicaret, Angelum Ioachimo revelasse, prolem se consecuturum, quam Anna jam in utero conceptam haberet.* Dictum huiusmodi confirmando, quis est qui nesciat, id meum esse non tamquod re ipsâ possideo, quam quod ex spe irrefragabili habeo. Deus equidem verax, cum sterilem Annæ uterum referasset, certitudo muneris cœlitus promissi, meliori formulâ exprimi non potuit. Ad quod propositum concurrunt verba S. Joannis Damasceni dicentis: *Quoniam futurum erat, ut Deigenitrix ac virgo ex Annâ oriretur, natura gratiam antevertere ausa non fuit, sed tantisper expectavit, dum gratia fructum suum produxisset.* Conformiter loquitur S. Germanus serm. de præsentat. Virg. *Statim ergo natura à Deo iussa semen suscipit, non ante divinam gratiam ipsa ausa fuit exci-*

r

pere,

pere, sed cum illa accessit, matrix qua prius erat clausa suas aperuit portas, & à Deo acceptum depositum apud se detinuit, donec Dei voluntate, quod in eâ fuerat seminatum, in lucem editum est. Hinc ergo vota mea reddam Domino meo.

5. Sermo Angeli ad S. Brigittam: Verè sine omni ambiguitate credendum est, quod materiam illam, statim quando in Anna utero concepta & collecta fuit, de quâ Maria formari debebat, ipse Deus plus diligebat, quam omnia humana corpora à viro & muliere generata, & generanda per universum mundum. Benedicti Periorii cap. 3. vitæ B. Virg. verba sunt: Non more nostro quem tradunt Physici, concepta est, sed in corpus sanctissimum sanctissimus animus eo die infusus est, quo conceptum illius divino afflatu Ecclesia celebrat. Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis part. 3. serm. de Nat. B. Virg. Invenimus Maria corpus miraculosè compositum, quoniam in utero sterili formatum est ab illo, cuius perfecta sunt opera; qui ideo materiam perfectè disposuit, ex quâ Maria corpus formatum, organizatumque est. Beata Mechtildis virgo à P. Canisio, Wion & Lyræo multis laudibus celebrata, sicut legitur revelationum ejus libri l. c. 52. instante gloriosissimæ Virginis Nativitatis festo, ab ipsâ Reginâ gloriæ audivit: Admone me gaudii, quod habeo ex eo, quod Dominus me super omnem creaturam suam dilexit, ut amore mei multipliciter pepercerit mundo, etiam antequam nata essem. Ipse etiam ex amore nimio anticipavit aliquantulum natiuitatem meam, & præuenit me gratiâ suâ in utero Matris meæ. 6. Lu-

6. Ludovicus de Ponte super Cant. lib. 10. exhort. II. §. 5. *Vera ratio docet credendum esse, Deum novum & mirabile creasse super terram, ut fœmina circumdaret perfectam & in usu rationis fœminam, nempe Anna Mariam.* Et alibi lib. 5. exhort. 14. §. 3. *Deus creavit beatissimam Virginem Mariam, quæ in ipso Conceptionis suæ instanti, accepit simul cum gratiâ sanctificationis fidem, & actualem revelationem Christi venturi in redemptionem mundi.* Concurrunt in idipsum doctissimi discursus nostri Joannis Marii, in festo Conceptionis super thema: *Diligit Dominus Portas Sion super omnia tabernacula Jacob.*

7. Itaque cum Deus generis misertus humani, ut tandem hominibus appareret gratia Dei Salvatoris nostri ex Annâ, quæ donum gratiæ signat, novam gratiæ & misericordiæ Matrem producere inciperet, simul nobilissima sua opera in corpore & animâ virginis designavit, ex quo considerandum consequenter, siquidem Dei perfecta sint opera, atque tarda molimina nesciat Spiritus S. gratia, quod in illo consolationis tempore, Anna non solum Hierosolymis conceperit, sed & probabiliter organizato citius corpusculo, venter simul intumescens contuentibus prodiderit, quid subesset rei, ut sic simul aboleretur confusio, quam pars adversa imaginatur. Divinæ autem voluntati citius parendo, SS. Conjuges pro conceptu fœtus se coaptare debuerunt, sicut Alexander de Ales Marialis lib. 3. c. ultimo ad hujusmodi actionem, *inpirationem*

Spiritus sancti & speciale præceptum præsupposuit, Lansbergius similiter ferm. 2. de S. Anna & Alvarez de Paz c. 5. Exegetici relatus. Gabriel Biel ferm. 1. de Concept. eos ad generationem tanta prolis divinitus incitatos affirmat; ita etiam S. Brigitta tradit; cum iisdem ab Angelo nunciatum esset, quod virginem parerent, unde salus mundi procederet, potius voluissent mori quam carnali amore convenire: quocirca ex charitate divinâ, & ex verbo Angeli nunciantis convenerunt carne, non ex alicujus voluptatis concupiscentiâ, sed contra voluntatem suam, ex divinâ dilectione, & sic ex semine eorum, per divinam charitatem compaginata fuit caro virginis Deiparæ. Ita legitur c. 9. lib. 1. Revelationum S. Brigittæ. Conclusionem ex præmissis & iis quæ part. 1 § 14. & 15. præcesserunt, sagax Lector satis hauserit.

8. Inde etiam videre licet, quod Rutilius Benzonius Episcopus Lauretanus lib. 6. de jubilæo, & ante ipsum Blondus lib. 5. decad. 3. Baron. tom. 1. annal. Stephanus Winandus Pighius in Hercule Prodicio, Joannes Baptista Mantuanus, Eckius homil. 1. de Annunt. Marcus Antonius Muretus, Horatius Torsellinus in historiâ Lauretanâ, & Carhagenæ de arcanis Mariæ & Joseph lib. 5. hom. 3. Beyerlinck in Theatro verbo: Maria, pag. 273. atque alii, omnem nervum intenderint, ut quæcunque decora & gloriosa attributa, Nazarethani conclavis, adornarent, & cordibus instillarent fidelium; non tamen virginis inibi conceptæ meminerunt; & consequenter neque
 fon-

for
ten
tia
sta
mit
tri
fol
pot
sum
nec
præ
sum
dep
ex
jud

P
rita
plic
S. E
ptu
ind
at
aca
pu
Poe
sibi
est

fontes, neque rapidi torrentes apparent, qui potentias nostras inclinent, ut credamus sententiam de conceptâ Nazarethi Mariâ (inaniter iactatam) communem esse; quin potius juxta præmissa & immediatè sequentia, probabilior doctrina erit, altissimi numinis providentiâ Hierosolymam urbem sacerdotalem & regiam, in quâ potissima salutis nostræ mysteria Christus consummavit, etiam ab eodem honoratam fuisse benedictæ Matris suæ conceptione, nativitate, præsentatione, desponsatione, tribulationum summâ perpeffione, extremo incolatu, corporali depositione, ac gloriosâ in cœlos assumptione ex valle Josaphat, quò & filius ejus revertetur, judicaturus vivos & mortuos.

QVÆSTIO XXII.

De loco partus sanctæ Annæ.

P Lyræus Trisagii Mariani lib. 2. modo 3. sic canit: *Virginis Deiparæ natale solum inquiritur, ut Nominalis locus inveniatur: neutrum explicant Scriptura, Nec mirum, ut enim monuit S. Hieron. lib. 1. in Epist. ad Gal. c. 3. certus mos Scripturarum est patrium solum consignare, ut eo quâ indicio communia vitia aut virtutes intimentur: at Maria quæ mores & ingenium non à patriâ sed à cœlo traxerat, nullo erat natalis soli loco per Scripturam sacram dignoscenda. Interim si Homero Poetarum Principi, quod plures habeat urbes, quæ sibi illum in civem venissent, non minima gloria est atque fortuna, quomodo non summâ quadam ac*

sempiterna laus virgini imputabitur, si varia ac dissimiles urbes de eâ in civem adsciscendâ contenderint à cuius natalibus illustrentur? unde factum existimo, quatuor non ignobiles in ejusmodi honoris ac dignitatis certamen descendisse, Bethlehem, Nazareth, Sepphorum sive Diocæsaream, & Hierosolyman, quarum singula patronos suos & luculentos quidem invenerunt. Lyræus transcursis tribus primis locis & eorum argumentis conclusionem statuit sequentem: Hierosolyma denique tanto fortius instat, quanto majoribus instructam monumentis atque patronis, se magnificè circumspectat. Hac Joannem Damascenum, quantum virum, secum in iudicium adducit, cuius verba paulo post dabimus, decem summos Pontifices Romanos citat, antiquos ac probè notæ auctores plurimos, quorum Henricus Canisius tom. 5. & 6. antiquarum lectionum, opuscula profert, Hugonem Victorinum serm. 65. aliosque non paucos. His ergo actoribus suam cuique causam defendendam relinquere posse videbar, ac juxta singularum partium mentem probabiliter de re meâ quidpiam pronunciare. Contra tamen facere visum fuit, & quid mihi hic potissimum è ratione magis firmâ ac certâ esse videatur, simpliciter aperire, quod dum ago, nullius opinionem statuo rejicere, aut improbare, scio enim ejusmodi diversitatem sententiarum de natali solo Deipare, magnâ eam gloriâ cumulare. Dico igitur expensis omnibus, quæ in hanc controversiam à variis allata sunt, eum mihi sensum, opinionemque verosimiliorem videri, quæ virginem Hierosolyman

lymia

lymia felici partu editam existimavit. Clarissimè huic sensui adhaesit S. Ioaannes Damascenus tam in Orat. priore de nat. B. Virg. quam lib. 4. de fide c. 15. cuius verba mox citanda, ut intelligamus, praemoneo ex Christiano Adrichomio, Bernardo Breidenbachio, Card. à Vitriaco, Guilhelmo Tyrio, aliisque, Hierosolyma Ioaachim & Anna juxta domum Anania Pontificis ad forum pecuarium, in quo oves & pecudes pro sacrificiis servari mos erat, ac sacrificanda carnes in piscina lavabantur, domicilium fuisse, ubi hospitarentur cum ad festa Hierosolymam ascenderent: unde praefatus Doctor sic loquitur: In lucem editur virgo in domo probaticâ Ioaachim & c. Latinè idem est domus ovilis, quod Græcè domus probatica, à voce $\rho\acute{o}\lambda\alpha\tau\upsilon$, quæ ovem significat, unde alibi, orat. scilicet de ejusdem nativ. probaticans piscinam, quæ nascentem virginem vidit, sic per Apostrophem affatur: Fausta tibi sint omnia, ô matris Dei probatica, patrium reginae domicilium: Fausta tibi sint omnia, ô probatica seminum Ioaichimi vetus fanum, nunc autem ovilis ratione praediti Ecclesia cælum imitans. Quæ postrema verba locum istum in sacrarium ad rei tantæ memoriam ac dignitatem fuisse conversum, innuunt, de quo Auctor epitomes bellorum sacrorum, sic clarius scripsit: Hierosolymis domus est S. Annae matris B. Virg. juxta probaticam piscinam propè portam S. Stephani sita, ubi nata B. Virgo esse perhibetur. Hic Abbatia est cum monialibus nigris sub B. Benedicti regulâ fervientibus Deo. De eadem nuper rimè Franciscus Quaresmius Laudensis, in eluci-

datione terra sancta lib. 4. c. 12. Ecclesia est, inquit,
 sub titulo S. Anne matris sanctissima Deipara dica-
 ta, pulchra & spatiosa: subtus eam sacellum, ubi cu-
 biculum fuisse dicitur, in quo in lucem edita credi-
 tur B. Virg. Maria, quare magnâ cum pietate &
 devorione à fidelibus in visitur. Superior pars in
 Mesquitam conversa est: ad inferiorem, ubi sacer
 locus est, descenditur per angustum ostiolum, ibique
 sacrificium offertur. Hæc ille, Guilielmus quoque
 Tyrius lib. 11. c. 1. agnoscit in hæc Ecclesiâ natam
 B. Virg. Mariam. Cotonius l. 2. Itinerarii alii quoque
 Bonifacius l. 2. de perenni cultu terra sancta idem
 docet. Item in summâ hanc sequuntur sententiam
 Orientales, & est communis in terrâ sanctâ tradi-
 tio, quæ constructione eximii & magnifici templi ac
 monasterii, in loco natiuitatis virginæ ad honorem
 parientis Anne stabilita est, quod decem Romani
 Pontifices plurimis indulgentiis iisque plenariis
 locupletarunt: inter quos numeratur S. Sylvester
 Papa uti videre est in Itinerario Leonis de Rosmi-
 tal, ubi post consignatas B. Anne ades Hierosolymis
 propè probaticam piscinam, refertur dictus Pon-
 tifex plenariam criminum remissionem D. Hele-
 næ rogatu, isti loco indulgisse; de quo cum nobis ser-
 mo incidere, minimè prætereundum, quid Hiero-
 solymitani circa hanc domum auctore Quaresmio
 locis supra citatis observare dicantur: nimirum in
 eâ non posse habitare Turcarum uxores, cum enim
 à viris hujus domus inquilinis quæsitum esset, qua-
 re secum uxores aut ancillas suas non retinerent re-
 spondiss. ferunt: experimento se didicisse quod ibi
 vivere

vivere nequeant, sed continuo è vivis discedant; illarum ergo salutem consulentes, easdem se alibi habitare iussisse. Quid hoc aliud clamat, quam ideo à Deo permitti, ne domus purissimâ olim habitatione Anna, ac mundissimâ filiae natiuitate insignis, nunc communium & impurarum foeminarum conversatione fœderetur, unde sicut olim Dominus passus non fuit Idolum Dagon consistere in loco, ubi posita fuerat Arca Domini, sed illud in terram deiecit atque confregit, ita modo non patitur vivere in sacrâ ista aede communes & impuras mulieres, ubi non mystica Arca, sed Spiritus sancti sacrarium, Maria nata fuit; cuiusmodi cum nulla neque Bethlehemi, neque Diocæsareæ, nec etiam Nazarethi signa aut vestigia reperiantur, quis non videat, planè que sentiat, hac omnia pro unâ Hierosolymâ clarissimè stare? Sed non est propositi mei contra sentientes prouere, ne gloriam virginis nostræ videar obruisse. Unum restat quod fors non nemo requirat, quâ nempe occasione Anna Nazaretho, aut Diocæsareâ relictâ, sub partus sui tempus Hierosolymam fuerit profecta? Multa ac varia rerum monumenta expendi, plura inspexi, nec ullum pietate unâ gravius aptiusque deprehendi, quâ scilicet impulsâ, Ioachimum Coniugem Anna, quoties is ex legis præscripto in templo comparere debebat, comitari solita erat. Tres autem solemnitates inuenio præcipuas, Azimorum scilicet, Pentecostes, & Scenopegia, & harum quidem postrema in mensem Tisri, qui Septembri nostro ferè respondet incidebat, quando viri omnes

Hierosolymam, ut sacris adessent proficiscebantur, sicut in Exodi 25. & 2. Paral. 8. liquido patet. Fœmina licet eo mandato non comprehenderentur, raro aberant non impedita. Cum igitur Anna in festo Encaniorum cuius solemnitas multò hac inferior erat, teste S. Hieronymo lib. de Ortu Deiparae, cum marito Hierosolymam ascenderit, dubitandum non est, eam ad hanc multo meliorem cum eodem ascendisse. Diebus itaque aliquot ante celebritatem, Nazaretho Hierosolymam profecta est, ut à festo Neomenia Tisri, ac solennitate Kippurim, quæ minoris quidem solennitatis, sed admodum religiose habebantur, octavam Scenopegia cum marito celebraret, quæ religio pro illo mense usitata erat fœminis Hebraorum, idque eò ferventius fecisse credenda est, quò detergenda sterilitatis infamiâ, ad gratias Domino Deo habendas vehementius urgeretur. Nec poterat hæc religionis observantia illi, licet partu imminente, esse molesta, quæ domum Hierosolymis & amicos dudum ante obtinebat. Hoc igitur loci virgo nostra, partu longè felicissimo, in lucem edita fuit, & quod consequens est, nominationem accepit. Ita Lyræus. Otto Passavicus ante ducentos sexaginta tres annos throni aurei sect. 12. profitetur, antiquissimas historias testimonium perhibere, quod B. Virgo in domo probaticâ Hierosolymis in lucem edita sit. Concordant hodie porica terræ sanctæ anno 1584 Francofurti proculsa fol. 64. 135. 154. 220. 255. 449. atque in 2. parte anno 1609. ibidem edita. pag. 160. Post S. Damasce-
num

rediissent in patriam, ac iterum lege Mosâicâ erudi-
 diri curabant, tunc apud illos Sceptrum accepit
 Zorobabel, Salathielis filius, qui in regni solio con-
 sedit, illudque transmisit ad posteros. Eadem refert
 Glycas in fine partis 2. Annalium. Siquidem ver-
 ba ista cum Jeremiæ 22. cap. Prophetiâ pugnare
 videantur, audiendus est S. Basilius Amphilochio
 Iconii Episcopo scribens: *Exterminatâ à Nabu-
 chodonozare Jerusalem, regnum quidem dissolutum
 est; nequaquam autem ulterius paterna successio-
 nes regentium, sicut prius erant. Regressi enim ex
 captivitate Salathiel & Zorobabel, populariter præ-
 erant populo, principatu jam in sacerdotium decli-
 nante. Non tamen sedit super thronum David de se-
 mine Jechoniæ. Thronus enim manifestè dicitur
 regalis dignitas omnis. Subjecta erat David omnis
 Judea & Idumæa regio, ad Mesopotamiam, & ab
 alio latere usque ad flumina Egypti. Si ergo nemo
 apparuit postea in tantâ dignitate, quomodo non
 verus est Propheta (Jeremiæ) sermo, quia non ul-
 tra sedebit super thronum David de semine Jecho-
 niæ? In effectu coincidunt Chronicon Alexan-
 drinum ad 61. Olympiadem in bibliothecâ ma-
 gnâ Patrum tomo 15. edit. 1622. Colon. pag. 41.
 Rabanus Maurus in c. 22. Jeremiæ. Cacolus Si-
 gonius de republicâ Hebræorum lib. 7. c. 4. sub
 finem, ubi Judæos post captivitatem Pontifici-
 bus paruisse, & Principatum Assamonæorum in-
 stitutum fuisse, scribit. Christus sanè cum matre
 suâ benedictâ, de semine regio Jechoniæ huma-
 nitatem assumpsit, quod ad instructionem fide-
 lium*

lium, palam docuerunt S. Ambrosius lib. 3. in Lucam: Damascenus orat. de nat. B. Virg. Abulensis in c. 2. Matth. Rabanus loco citato: Joannes de Turre crematâ. Robertus de Licio serm. de Annunciat. & Eckius in nat. B. Virg. homil. 1. n. 5. Georg. Ederus partition. theolog. lib. 3. tab. 15. Veruntamen Christi regnum non fuit de hoc mundo, sed in æternitate, ubi dedit ei Dominus sedem David Patris sui.

3. Quæritur nunc circa librum generationis Jesu Christi, quisnam fuerit Scopus SS. Matthæi & Lucæ Evangelistarum? pro cuius quæstionis resolutione, præmittenda venit declaratio, quod triplices filii reperiantur, 1. naturales. 2. obfusci-
tatum semen, legales. 3. propter adoptionem, legales: de quibus S. Augustinus lib. 2. qq. Evangelicarum q. 5. & lib. 2. de consensu Evangelistarum c. 3. Clarissimè autem lib. 2. Retractationum c. 7. 12. & 16. Glossa: Hugo Cardinalis & Liranus in c. 3. Lucæ. Exinde ad quæstionem propositam exactè respondet S. Ambrosius, de concordia Matthæi & Lucæ edit. 1569. Parisiensis columnâ 4148. Matthæum in genealogia Christi non nisi naturales filios computare voluisse, Lucam verò inter naturales etiam adoptivos adscripsisse. Coincidunt Damascenus orat. 3. de nat. B. Virg. Paschasius Radbertus in c. 1. Lucæ, & Lira ubi supra. QVARE autem Matthæus naturales, Lucas etiam legales patres expresserint, causas reddunt Theophilactus in c. 3. Lucæ in fine: Ambrosius & Lira locis citatis: Perez in expos. Can-
ctict

tici Magnificat. Toletus annot. 56. & 58. in c. 3. Lucæ. Titus Bostrenus.

4. Præterea quæritur, quomodo Zorobabelis genitori Salathieli, in schemate ad n. 1. præ-inferto, patres duo assignentur, videlicet Jechonias Rex ex lineâ Salomonis, atque Neri ex Nathanis lineâ? Quæstioni olim satisfecit Euthymius Zigobenus, teste Baronio accuratissimus Scripturarum expositor, c. 6. in Lucam, affirmans quod Salathielis pater naturalis fuerit Jechonias, sed Nerus legalis: cui asserto firmiter inhærent Toletus annot. 60. in c. 3. Lucæ & Maldonat. c. 1. Matth. col. 30. Stephanus Menochius in c. 3. Lucæ. Quod verò Jechoniâ defuncto Salathiel Nurus adoptarit, rationem assignant Liranus & Arboreus in c. 3. Lucæ.

5. Zorobabeli fuerunt duo filii Abiud & Resa: horum Matthæus alterum assumpsit, nempe Abiud, ut ex eo produceret Jacobum naturalem patrem Josephi: Lucas vero Resam suæ genealogiæ inseruit, de cujus stirpe prodiit Heli, Josephi pater legalis, juxta communem antiquorum Patrum & Doctorum, partis hujus secundæ, q. 1. relatorum.

6. Ex Resæ stirpe prodiit Mathat, quo defuncto viduam ejusdem Hestam, suo opte motu nullâ lege cogente, duxit Mathan ex Abiud stirpe oriundus. Cum ergo Mathatæ filius Heli, & Mathanis filius Jacob, eandem matrem habuerint, eos fratres uterinos fuisse manifestum evadit. Sed & istius Helis patruus fuit Panther, qui genuit

nuit Barpantherem patrem S. Joachimi, cujus genealogiæ schema expressit Carthagena lib. 18. de arcanis Mariæ & Joseph homil. ult. §. 4. n. 3. atque in tabulâ altaris S. Annæ in Knechtsteden antiquitus effigiata, arbor genealogica in Joachimo, B. Virgine, & Christo similiter clauditur. Cur autem S. Lucas idem non præstiterit, dictum est par. 1. §. 9. supra.

7. Utraque ergo stirps Abiud & Resæ descendit ex Salomone, juxta evidentiam schematis n. 1. descripti: Bust. serm. 12. Marialis: Torniel. anno Mundi 2987. n. 5. & Carthagen. ubi supra n. 2. & 3. Unde etiam consequitur non tam Josephum, quam beatissimam Virginem, ex Davide & Successoribus Regibus, exortam fuisse. Ita scripserunt Ambros. Theodoretus, Bernardus & Thomas plenius relati à Barradio concordiæ Evangelicæ lib. 5. c. 30. Antoninus 4. parte summæ tit. 14. c. 3. §. 3. Regius lib. 1. c. 3. theoriâ 7. Beyerlinck in theatro verbo: Maria. & auctores sub finem n. 2. superius recitati.

8. Multi interpretes transilierunt filiationem Salathielis & Zorobabelis, quotquot autem super eandem commentati sunt, propè omnes semitas singulares elegerunt. Cur autem easdem calcare non adlubescat, causæ in promptu sunt, brevitatis studio pressæ. Unica cura restat, ut pro salutis tramite securius assequendo vestigiis Momentmorencii in fine officii S. Joseph. insistentes, dicamus:

9. Salve.

9. Salve JOSEPH Salvatoris sancte pater nomine, locum tenens nutricii cum MARIA virgine. Virgo custos es uxoris, explens curam regulæ, Sponsus testis es pudoris, Sponsæ tantæ gratiæ. Ad te patrem putativum dolens fundo gemitum, tu me factum abortivum, duc ad tutum exitum. Exerce faber dolabram, radens ex me vitium, ut sim lignum adoptivum ad cœli palatium. Amen.

10. AVE itidem candens lilium virginitatis, mater & virgo, mater admirabilis, mater Creatoris, mater Salvatoris. Ave vallum fidelium, & mundi Salus, ave tranquille portus. Ave refugium peccatorum & hospitium: Ave propitiatorium laborantium. Quis enim post tuum filium curam gerit generis humani sicut tu? Quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? Quis in supplicationibus ad eum pugnat pro peccatoribus? Tibi laus, tibi honor, tibi gloria, tibi gratiarum actio. Te in vastissimo hoc mari inter scopulos & procellas, tanquam felicissimam maris stellam contemplor: ad te sunt vota, precesque meæ, ut tuâ interventione, per angustos & sinuosos vortices, ad portum felicitatis æternæ appellam.

Amen.

Scripsit JESU PADERB. 1657.
F I N I S.

Errata excuset Lector, sic corriget illa.

Errata in approbationibus libri.

Pagina 9. lin. 1. Censuris l. Censoris. p. 10. in medio etrus Petrus.

Errata in Praefatione ad Lectorem.

Pagina 1. lin. 3. à fin. clucidarem l. elucidarem. pag. 2. lin. 7. picta-
tisque l. pietatisque. ibid. lin. 8. quaestionis l. quaestiones. ibid.
lin. penult. à fin. sentias l. sententias. ibid. lin. ult. proferrent l. pro-
ferrem. pag. 3. lin. 13. punitum l. punctum. ibid. lin. 18. Superiorem
l. Superiorum. ibid. lin. 7. à fin. vineta l. vineta.


Errata in primâ parte.


Pagina 7. lin. 4. à fine tecuit l. decuit. pag. 12. lin. 4. Epulensem
l. Abulensem. pag. 15. lin. 1. §. 4. beatissimc l. beatissima. pag. 18.
lin. ult. apostoloca l. apostolica. pag. 22. circa medium poctæ
l. poëtæ. pag. 25. lin. 6. ære l. æræ. pag. 41. lin. 8. Soti l. Soli. pag. 42.
lin. 3. relinquebas l. relinquebat. pag. 62. lin. 5. usul. usi. pag. 63. lin.
penult. delecta l. deleta. pag. 64. lin. 17. fucta l. facta. pag. 76. lin. 8.
præstantioremque l. præstantioremque. ibid. lin. 13. fælicitatem
l. fælicitate. pag. 78. lin. 4. §. 3. Delbora l. Debora. pag. 84. lin. 4. à
fin. eus l. ejus. pag. 89. lin. 4. à fin. consolantur l. consulantur. pag.
104. lin. 2. probaticum l. probaticam. pag. 112. lin. 4. à fin. Josophi
l. Joseph. pag. 125. lin. 10. à fin. ipsa l. ipso. pag. 131. lin. 4. à fin. unam
l. unâ. pag. 132. lin. 6. Domino l. Dominum. pag. 138. lin. 10. ac l. ad.
ibid. lin. 3. à fin. annaliam l. annalium. pag. 156. lin. 7. à fin. Gentes
l. Gentem. pag. 165. lin. 8. confirmam l. confirmatam. pag. 169. in
med. Joannis l. Joannes. pag. 188. in med. Gallicanus l. Gallica-
num. pag. 192. circa med. supplicationem l. supplicationum. pag.
193. circa med. lensus l. census. ibid. lin. 4. à fin. proles l. prolis.


Errata secunda partis.

Pag. 218. lin. 2. à fine Portuensum l. Portuensem. pag. 228. l. 2. ge-
nerationem l. generationum. pag. 236. §. 6. in init. si l. sic. pag. 237.
lin. 3. §. 7. eligerit l. elegerit. ibid. infra uxorem l. uxorem. pag.
247. lin. 7. quaestionum l. quaestionem. ibid. Laurentius l. Lauren-
tius. pag. 248. lin. 6. aut l. an. ibid. lin. penult. qua l. quæ. pag. 250.
in med. concuditur l. concluditur. pag. 256. lin. 4. consanam l. con-
sonam. pag. 260. lin. 4. à fin. suspicanter l. suspicantur. pag. 273. lin.
ult. antistidem l. antistitem. pag. 292. lin. 5. à fin. incastum l. ince-
stum. pag. 306. lib. 5. à fin. aquula l. aquila. pag. 316. lin. 6. de-
leatur, ibid. lin. 8. aqua l. æqua. pag. 332. lin. penult.

§. 4. Nurus leg. Nerus.







hanc. Arborē fici ha
bat quidam plantat
vineā suā: et venit
rēs fructū in illa. ⁊ n
uenit. Dixit autē ad
tozem vinee. Ecce a
tres sunt. ex quo v
querens fructū in fi
nea hac: et non inue
Succide ergo illam
quid etiā terram
pat? At ille respo
dixit illi. Domine: t
te illā et hoc anno
dum fodiā circa i
mittā stercoza. E

Th
2468